Dans le Ciel que ce Traité
sur la Peste ne sorte jamais.

il a été fait par un
Medecin de Pestiférés.

O-Neil Glacan. —
remplissait la chaire de premier
professeur de medecine à Toulouse
lorsque la peste vint ravager
cette ville au commencement
du 17e siecle.

Il avait observé aussi la
peste à Valence et à Salamanque
en Espagne. —

Mort à Bologne.

Il etait Irlandais. —

TRACTATVS
de Peſte,
SEV
BREVIS, FACILIS,
& experta methodus
curandi peſtem.

AVTHORE MAGISTRO
NELLANO GLACAN *Hiberno,*
apud Toloſates Peſtiferorum
pro tempore, Medico.

TOLOSÆ,
Typis RAYM. COLOMERII,
Regis & Academiæ Toloſanæ
Typographi. 1629.

AMPLISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE VIRO,

D. D. ÆGIDIO LE MASVYER,

Vicecomiti d'Ambrieres, Equiti Clarissimo, Sacri Auditorij Consiliario, Senatus Tolosani Principi perpetuo.

LINGVAX *aliquis, multúmque socors* (VIR CLARISSIME) *statim dicet crimen esse perpetuum tibi*

tanto viro, summo celeberrimi Senatus Tolosani Principi, opusculum hoc quasi inhumanum, vtpotè pestiferum, & ferina sæuitate oppletum, dicare. Verùm qui æquo animo rem penitiùs perlustrabunt mea vota clementi vultu confirmabunt: nam nihil mæstum, nihil lugubre, nihilque sordidato incultu accinctum quod assiduo, benignoque radiantis Solis aspectu non demulcetur & mitescit: suo siquidem perpetuo fotu eneruatas cunctarũ rerũ vires, earũq; propagines vegetare facit. Sic tu (VIR ILLVSTRISSIME) sincero æquitatis

obſequio obductus, & colluſtratus vniuerſa huius emporij Toloſani loca, peſtifera labe vexata & obſeſſa; quam tutiſsimo auxilio, circumſpectatiſsimaque cura iuuare nihil ampliùs optas; quæ aſpera ſunt mitigas; quæ tutelari & paterna cura à vigilantiſsimis Octouiris in huius florentiſſimæ Reipublicæ ſalutem meditantur, ſummo ſplẽdore ſublimis faſtigij tuæ dignitatis roborantur. Hæc omnia, tum charitas ſingulari neceſsitudine tibi annexa (Prati enim & Xenodochij peſtiferos ægros ipſe crebrò inuiſis) præcipuè me impulerunt, has meas licet exi-

les imò & incultas, ob temporis angustiam (nunquã integro die potior, nec Bibliothecæ auxilio potest mea doctrina fulciri) tuta tui nominis præfatione illustrare, teque ne virulentis sycophantarum morsibus feritus dilaniar, Mæcenatem & fautorẽ exoptaui. Vale, & confugientem ad te tueare literatum. In Xenodochio pestiferorum B. Sebastiani, vulgò de la Graue, 6. Cal. Maias 1629.

AMPLISSIMIS
VIGILANTISSIMISQVE
DOMINIS.

DD. Ioanni Petro de Guibert, in Senatu Causidico & Consistorij Capiti.

Iacobo de Monserrat.

Francisco de Cat Laboissonade Ciuibus.

Petro Antonio de Lancefoc.

Antonio de Pelaprat, in Senatu Causidicis.

Eustachio Poget Ciui.

Petro Lacarry in Senatu Procuratori.

Stephano de Resseguier Armigero.

CAPITOLINIS OCTOVIRIS
huius anni 1629.

M*AGNIFICÆ Atheniensiũ res gestæ* (VIRI VIGILANTISSIMI) *mira celebritate quoquouersum diffusæ & promulgatæ, uni-*

uersos cæle sti orbe accinctos tractus fama perhibentur illustrasse, donec æmula virtutum Romana Respublica multò splendidiore cultu, argutaque serie cuncta certis præceptis & legibus coërcens ac circumscribens, excelluit & affulsit. Talis fælicissimi euentus causam non aliam quam summam & singularem Administratorum Reipublicæ Sapientiam, incredibilem sagacitatem, arctam compaginem & cõsociationem, mortalium vllus nisi mentis impos statuet. Nunc igitur inclita formabit triadem Tolosa perennem (Senatus magnificentiam iam sileo.) Quis præter cæcutientem non annuet Petrum Antonium de Guibert bis Capitolinum, rara prudentia & consummata vrbanitate dotatum, Catonem istum cognomine sa-

pientē, vt Cicero de amicitia prædicat, tum in foro, tum in Senatu adæquare? Quis Petrum Antonium de Lancefoc bis Capitolinum, comem & humanum virum cum Lælio nō comparabit? Quis Antonium de Palaprat mira ingenij perspicacitate ornatum alium à Lucio Acilio esse dicet. Quis Stephanum de Resseguier bis Capitolinum, alium à Scipione? Quis Iacobum de Monserrat, Franciscū Laboissonade, Eustachium Poget alios à prudēte Fabio? Quis Petrum Lacarry alium à Tyberio Graccho, populi fautore? Merita quarè & insignes quibus præstatis & excellitis virtutes, vniuersos conciues vestros tātopere coëgerunt vobis impetuoso efferæ huius pestis vigore laboriosum Reipublicæ regimen, nec frustra, committere.

Villefrancæ enim Ruthenensium breui trium mensium interuallo circiter tredecim millia hominum pestis rabie obijsse accepimus; in hac autem vasta ciuitate ob vestrum industriosum ordinem, innatam humanitatem & admirabilem charitatem septem mensium spatio dimidiata pars prædicti numeri nequaquam erepta fuit. His adductus cogor tractatulum hũc de peste, licèt incomptum, ob librorum & ocij penuriam, in quo domestica, experta, & cuilibet temperamento idonea depingo remedia, vobis consecrare; quod si hoc meum munusculum vobis gratum iri videro; præterquam quod alacriùs imposterum Sanitatis Medici munere fungar, indepto ocio plura limatiùs promitto. Interim, VIRI HVMA-

NISSIMI, *fauete & valete. In Xenodochio pestiferorũ Beati Sebastiani, vulgò de la Graue.* 8. *Maij* 1629.

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAGINA 1. l. 16. Philosophia si vis p. 3. linea tertia, adde post est, & Architectura p. 6. l. 1. lege reditum loco redditum l. 6. omnimodam p. 8. l. penultima alexiteria. p. 9. l. 1 Elephantiasis. p. 11. l. 7. incidant. p. 13. l 4. si vis lege contangr. p. 18. l 20. pestem. p. 21 l. 8. alte np. 26 l 4. suffimigiũ l. 13. benjoino. p. 32 l. 2.. offæ p 33 l. 5. terrestreitate. p. 34. l. 14. tactæ, loco ferit . p. 35 l. 2. fugiant. p. 37. l. 19. periclitantem p. 40. l. 5. præmeditatione p 44. l. 12. permittentes. p. 55. l. 10. purgantia. p. 58 l. 9. oæ. p. 60. l. penultima. purgat. p. 61. l 9. conciliat p. 62 l 9. congessere. dele congesti. p. 63. l. 11. institoribus l. 14. dele spertis. adde spretis p. 72. l. 17. al ermes. p. 77. l. 1. præseruatiuis p. 83. l. 12. conciliabit. p. 91. lumbricis . 100 l. 1. st machaie. p. 104. l 22. saltem. p. 117. lin. vltima. accersito. p. 127. l. 21 bdellij. p. 14 . l. 20. fuliginosum. p 145 dele referitos adde contactos. p. 17 . l. 1. continuo sine nota aduerbiali. p. 186. l. 19. ablatũ. p. 207. l. 20. cinnabarum. linea 17. loco vtatur lege vtantur. pag. 228. lin. 19. ligna.

Reliqua facile corriget quiuis.

LECTORI.

ERrata ante lectionem corrigēda, quæ, vt alia nonnulla, inter imprimēdum irrepſerunt; quibus auctor propter Typographi feſtinationem & incuriam, ſuam à prælo abſentiam, & maximas apud ægrotantes occupationes, mederi non potuit. Si hæc editio, LECTOR, malè compta, tibi vtcūq; placere intellexero, ſique Deus vitam & ſanitatem dederit, cum à peſtiferorum Xenodochio, eorumque prato liber fuero, ocium nactus

& libros, quibus nunc ſum expers, non curando quid maleuoli inſtar canum oblatrantium obganniát, vel famæ noſtræ detrahant, cum manum operi adhibere non audeant, nec valeant, maximè verò grammaticuli quidam, ijſdem quidem ne verbum reſponſurus, comptiorem, & quæ fortè melius tuo palato ſapiat, adornabo. Interim valeto, atque hæc quæ feruenti calamo à me ſcripta ſunt, (ea enim reſcribere non licuit) pro tua modeſtia excuſato, & me vt publicæ, ſic tuæ ſalutis ſtudioſiſſimum adamato.

Tuus vſu & mancipio LECTOR,

Mag. NELLANVS GLACAN
Hibernus, Doctor Medicus.

INDEX CAPITVM huius Tractatus.

BREVIS, FACILIS, & experta methodus curandi peſtem.

AVTHORE MAGISTRO NELLANO GLACAN *Hiberno, Doctore Medico.*

CAPVT I.

PROOEMIALE.

NON temerè Medicinam iam dilaceratam, multiſq; conuitijs hac peruerſa tēpeſtate obnoxiam, innumeri ſcriptores Hippocratis æuo, omni nitore adornatam, ſolidiſſimis

ſuffultam fundamentis, cunctis vtpote, naturæ arcanis conflatam floruiſſe aſſeuerant: nam primo eius ab Apolline ortu, hæreditaria quadam ſucceſſione in liberos, diuino quodam cultu, ad Hippocratē vſque propagata eſt. Cautum etenim erat in illa Aſclepiadarum familia, ne quis artem & induſtriam medendi, poſſeſſionem prorſus diuinam à Deoque ipſis ſolis conceſſam, cuipiam communem faceret, qui ab eodem genere non eſſet exortus. Sic equidem natiuo quodam delectu, genuinaq; propenſione, omnes à cunabulis liberalibus artibus & Philoſophiæ probè inſtituti, non leui, non futili, nec vulgari naturalium rerum cognitione ſatiati, ad vberiora, & penitiora naturæ recondita, iteratis parentum experientijs priùs præuiſis, egregia ſerie inculpatiſsima iſta ingenia gradum factitarant. Hæc eloquentiæ pater miratus, ait. Quibus au-

tem aut prudentia maior inest, aut non mediocris vtilitas quæritur, Medicina censenda est: Sic & Homerus. Vir Medicus aliorũ instar multorum est. Quorsùm igitur morosè multi in hãc scientiam humano generi diuinitùs oblatam, inuehi audent? Quia inquit summus & diuinus Hippocrates libro de lege, multi Medici nomine, pauci verò re. Addit diuinus senex: & omnes qui Medicinam faciũt vulgi æstimatione, Medici censentur, hisque in publico, nulla pœna imposita est præter calumniam. Vnde non solum circulatores, ciniflones, & empirici: qui tenebriones Medicinam procellosa exagitãt tempestate, teredinumq; ritu eandem inficiunt; sed Hippopotamus ominosum animal, ibis, mustela, hirundo, & alia multa animalia, quæ solo naturæ instinctu sibi medelam asciscunt, si articulata voce fari possent, vlteriori admodum excellentiæ gradu, Medici à

quam plurimis nominarentur. His etenim quidam Chirurguli & Pharmacopolæ, qui inſidioſis cōuitijs Medicos redarguunt & retropungunt, aſtipulantur: Medicum autem, etſi, non dicam Guidonis & Meſuei penetralia, ſed horum authorum procemia prorſus ignorent, agunt; affirmantque vlterius Medicum ob Chirurgiæ & Pharmacopeæ defectum, nihil ſine ipſorum auxilio, in ſalubrem humani generis vſum debitè conducere poſſe; qui inſignium veſpillonum inſulſiſſimus ſermo, vt Medicum verū eſſe Chirurgū & Pharmacopolam, dum vult, oſtenderem, horum munera valdè proſperè biennio ſubire, me compulit. Dux enim in caſtris tutiùs & alacriùs inimicorum robori obſiſtit, qui ſingula agminis munia obire non dedignatur, quam qui recens & immediatè campiductor creatus. Hæc porrò Medicaminum accurata cōtemplatio, co-

rumdemq; propria manu Medica fidissima exhibitio, Hippocratis & Galeni sæculis solidam perstetisse Medicinam iuuarat, multosq; sex veri Medici ab Hippocrate constitutas notas (vt sunt debita & matura institutio, doctrina, ingenium, locus studijs aptus, industria, & longum tempus ad integram artis perceptionẽ) nancisci effecit. Verùm vt stabile culmen Medicinæ adipiscatur, digna præmia summoperè ingeniosos concitant. Quare rectè sic Cicero fatur. Medico puto dandum esse quò sit studiosior. Medico mercedis quantũ poscet, promitti iubeto: dicti rationem pronunciat. Quia, inquit, Medico salus proposita est. Et alibi: non vates sed Medicos ad ægros solemus adducere. Et alibi: iam hoc quoque propè iniquissimè cõparatũ est, quia in morbis corporis, vt quisque, est difficillimus, ita Medicus optimus, atque nobilissimus quæritur. Neminem puto latet an-

nuum redditum ab Athenienſibus Hippocrati eiuſque proſapiæ conſtitutum fuiſſe, ob vnicum præſeruatiuum ſolummodò conſilium datum contra peſtem à confinibus locis Athenas dimanantem. Ob omnidam enim, vt ad rem redeam, & ſolemnem literarum antiquitùs in Hibernia noſtra culturam, ad quam vndequaque tanquam ad celebre ſcientiarum delubrum, innumeri ſtudiorum cultores confluebant, vt inter alia multa, hi verſiculi in vita cuiuſdam ſancti à 700. annis exarati, fideliter demonſtrant,

Exemplo patrum, commotus amore ſtudendi,
Venit ad Hibernos, ſophiâ mirabile claros.

Hiberni Medici Hippocratis & Galeni veſtigijs probè inſiſtẽtes, omnia quæ ad ægrorum integram ſalutem conducunt, manu propria conficiunt & cõdecorant. Quare in toto

ferè regno perpauci, aut nulli inueniuntur Pharmacopolæ & Chirurgi à Medicis distincti : nam qui dextrè Chirurgi & Phramacopolæ munia nequit obire Medicus, apud Hibernos non pluris fit. Vnde Medici non tantum curatu difficiles, sed desperatæ salutis ægros proprijs regni plãtis, sæpenumerò & miraculosè sanitati restituunt. Cum igitur Hibernus sim, quæ quorundam amicorum precibus Figeaci, Fõs, Capdenac, Cajarc, item Francopoli toto superiori anno expertus sum contra hanc effrenem luem remedia, tum quæ Cadurci, la Roque, Flogeac & alibi prope Cadurcum, Illustrissimi & maxime Pij viri Petri Hubert Episcopi Cadurcensis mandato, ac quæ tandem Dominorum Protopræsidis & Capitolinorum Magnarum nutu in hac alma vrbe Tolosa, ingenuè maiori qua potero breuitate, proferam; expectans vlterius opportunum tempus, quo

elegantiori cultu manuale Medicum de remedijs paratu facilibus ad tyrones, in lucem edam.

DE PESTIS ESSENtia, causis, atque speciebus.

CAPVT II.

LONGE prolixam priscorum & neotericorum Medicorum historiam de peste præteriens, omni conatu & sedulitate qua potero, eius essentiam satis succinctè, præposita prius vulgari morborum diuisione ab Hippocrate primo de ratione victus, *& à Galeno Comment. 1. primi Epid.* assignata, enucleare contendam; dein verò alixeteria.

Morborum in vniuersum, alij di-

cuntur Pandemij, alij Sporades. Sporades vocantur diſperſi, & qui cauſam habent particularem, vt ſunt phrenitis, alui profluuium, & reliqui morbi qui quo libet tẽpore indiſcriminatim graſſantur & infeſtant. Pandemij morbi qui vniuerſales dicũtur, in endemios & epidemios ſeu populares diuiduntur. Endemij ſeu patrij morbi dicuntur, qui alicui regioni, prouinciæ, aut vrbi, ob vitioſum tractus fomitem ſæpiſſimè contingũt & occurſant. Vt ſcrophulæ Hiſpanis, Ægyptiacis Elephanſiaſis, & ſic de alijs nationibus. Epidemij morbi ſiue populares ſunt, qui per plures ſpatiantur regiones per interualla temporum, niſi eorum prohibeatur excurſus. Epidemij morbi vel ſunt benigni, vel maligni & quam plurimos enecantes. Qui maligni ſunt *peſtis* nomen induunt, de qua impræſentiarum agendum.

Peſtis latè ſumpta, omne aduerſum

pernitiosè vexans ſignificat; quo ſenſu quilibet morbus dici poteſt *peſtis*, licèt impropriè. Propriè ſumpta *peſtis eſt morbus communis, malignus & multiplex facilèque communicabilis, multos eodem tempore è medio tollens.* Hæc definitio clarè colligitur ex Galeni doctrina prooemio in primum Epid. Dicitur *peſtis morbus communis*, vt conueniat cum reliquis morbis epidemicis ſeu popularibus. *Malignus & multiplex* dicitur morbus, quia eam concomitantur omnes morbi diſperſi ſeu ſporadici, quales ſunt ordinariæ ægritudines alijs temporibus extra peſtem apparentes, quæ ob ingentem peſtis malignitatem ſuperueniunt. *Multos è medio tollens*, additur, vt diſtinguatur à morbis epidemicis benignis. *Eodem tempore additur*, quia vi cuiuslibet ſpeciei morbi, multi moriuntur, non tamen eodẽ tẽpore, nec pari cõmunicabilitate, vt vi peſtis contingit.

Pestis causa duplex est. Aër, & contagium. Dum aër inficitur & sua labe nos inficit, facilè dignoscitur ex eo quod omnes cuiuslibet sexus & ætatis, quocunque degant in loco, sub aëre corrupto, æqualiter ferè in morbum hunc incidunt. Præsentem pestem ab aëre inquinato promanare minimè iudico: quoniam cæli volatilia adhuc intacta permansisse obseruauimus: tum quia, quod magis præcipuum est signum, non æquè omnes in eadem vrbe commorantes afficiuntur, etsi in eodem tractu sub eodem aëre versentur: nam qui sese à comitijs abstinent, seruata victus debita ratione, intacti & superstites lætantur. De peste aërea impræsentiarum non agam, sed de secunda pestis differentia (ratione causarum duæ sunt pestis species, vna aërea, altera contagiosa) quæ præsens est, quæque è loco in locum delata, diuersis in Prouincijs copiosam generat cladē;

vt annis 1627. 1628. & hoc anno 1629. palàm perſpeximus. Primus enim qui ex Aluernia Figeacum aſportauit peſtem ſub finem autumni 1627. infauſtus erat mulio quidam hoſpitium cuiuſdam Cleirac ad quod appulit inquinans, ibidemque vitam cum morte commutans. Huius mulionis peſtis omnibus ipſi auxilium ſuppeditantibus, Medico nēpe, Chirurgo, & Pharmacopolæ prorſus, multorum damno, incognita fuit, donec ineunte hyeme, in eodem hoſpitio, inſidioſa lues excanduit. Vicina autem loca à mendicis Aluernis pedetentim conſpurcata ſunt. Oppidorum tamen Fons, & Cajarc quidam incolæ qui in prædicto Figeacēſi diuerſorio de Cleirac verſabantur, natali mox acquiſito ſolo, idem inſcitè labefactarant. Sequenti æſtate Francopolum, paulo poſt Cadurcum, initio autumni ſubſequentis Moyſac, & tandem menſe Septembri hanc al-

mam Tolosam infestare cœpit inhumana lues.

Pestis enim hæc (quæ per contagium dicitur) deriuatur à verbo *contango* , vi cuius *contactus* fomes pestis communicat alteri corpori substãtiam quandam subtilem, & malignantem induentem naturam ; quod corpus si humanum sit, id ferociter ferire cõsueuit pestis : si inhumanum, pestilentem diu fouet auram , præcipuè si sit spõgiosum , ab igne & solaribus radijs semotum. Communicatio hæc bifariam accidit. Primò dum *inquinamentum* , quod nihil est aliud, quam spiritus venenosus , siue aura, siue vapor malignus pertinaciter fomiti adhærens (*fomes est quodcumque hunc halitum venenosum seruat, nutrit , ac fouet*) per aërem transmittitur abvno corpore in aliud;quod facile succedit dum amborum longa contrahitur mora, exacta vicinitas, transmittentis completa conspurca-

tio, recipientis apta diſpoſitio obſecundant. Quare qui perterriti, prætereuntium celeri curſu non tantum ægrorum, ſed infectorum labem, licet exiliſſimam, timent; his mens ægrotat. Vident enim quotidiè manus noſtras igni ardentiſſimo temporis tantillo appoſitas, non comburi: ignis tamen non tantum peſte, ſed vniuerſis actiuis ſublunaribus actiuior & ferocior eſt. Secundò quando immediatè fomes corpus aliquod nondum labefactatum attingit: vt ſi quidam ſanus & incolumis attingat hominē peſte inquinatum, vel è contra. Quocumq; ex dictis modo fiat communicatio, indubium permanet, eodem ſemper modo hominem affici, inſpiratione ſcilicet & tranſpiratione. Inſpiratione, dum teterrima aura inſimul & viſcida, vna cum aëre, ſine quo animal viuere impoſsibile eſt, inſpiratur; inſpirata pulmonibus, vt pote laxis, & ſpongioſis, facilè adhæret; po-

ſteaquam cordi vtrinque pulmonibus circumuallato & obſeſſo, affatim cō-municatur & impingitur ; cumque cor aſſiduò toti corpori ſpiritus vitales ſuppeditat, omnibus partibus per concomitantiam ſubminiſtrat & hāc auram. Nec mirum, cum totus arterialis ſanguis & ſpiritus , ob vegetiorem eorum calorem , ſint hac peſtifera aura imbuti. Vnde tandem per vniuerſum corpus diſperſa , natiuum facultatum robur obtundit,omniumque partium genuinum connexum vexat. Trāſpiratione recipitur , quando vapor iſte viſcidus & venenoſus arteriarum capillarium in cute deſinentium ora pertingit ; deinceps vi cōtinuæ earumdem dilatationis cordi communicatur; Spiritus autem vitales poſtea , vt iam retuli , à corde tanquam nuncij qui ad omnes corporis partes,vitalem concomitantur facultatem , deuehi ſolent , ſecumque ad omnia corporis penetralia vene-

num asportant, sicque transmissum & dispersum integrè, pars princeps pesti magis obnoxia præcipuè labefactatur; valde tamen oppresso & contaminato fonte vitali, corde, non satis tēpestiuè infausta lues aliò protruditur, sed ibidem radicata cordis vniuersas vires, veluti prostratas & imbelles reddit, subque axillis aut harum alterutra generantur bubones, aliquando verò nullus, viribus cunctis penitus debellatis; vnde interna aduruntur viscera, ob vniuersam caloris extranei & virulentæ luis in corporis penetralibus collectionem. Virtus vero vnita fortior est se ipsa dispersa; quapropter multi inopinanter, subitóque rabidæ luis insidijs moriūtur: sicuti hyberno tempore ob antiperistasin factam vi frigoris ambientis sæpè fit, nullo prorsus pullulante tumore, dēptis aliquando solis morbillis qui crebrò post obitum in cute prorumpunt. Ideoque miror cur per-

tinaciter nonnulli contendunt ſubitam hanc mortem à febre diaria, quæ valde benigna eſt originẽ ſumpſiſſe. Non enim nego ſpiritus in corpore priûs tãquam cremia excalfieri, deinceps humores, poſt hos ſolidas corporis partes. Sed apparentibus poſt obitum morbillis, manifeſtè colligo putridos eſſe humores in toto corpore incluſos. Ergo febris putrida potius quam diaria cenſendus ardor ille inextinguibilis & malignus, malique moris morbus; qui quoniam perperacutus eſt, viginti quatuor horarum interuallo ægrum interficere valet; non ſecus ac apoplexia & conſimiles morbi acuti.

Superiùs dixi cauſam peſtis eſſe duplicẽ, ideoque & ratione cauſarũ duas eſſe peſtis ſpecies, vnã aëream, alteram cõtagioſam; cibi enim quando peſtis cauſa cenſentur ideo ſunt ratione tactus, quare ad cõtagiũ reducũtur. Ratione ſubiecti tres cõmu-

muniter à Medicis censentur pestis species. Diaria Febris, Putrida, & Hectica.

Sed tantorum virorum pace, vnicam tantum dari speciem nominatarum dico, quam putridam esse iudico. Quod sic probo. Febris putrida ideo dicitur talis, vt omnes Medici concedunt, quia ab humorum putredine immediatè dimanat; atqui ex omnibus etiam Medicis febris pestilens immediatè dimanat ab humorũ putredine, causata ab extrinseco aliquo putrido; Ergo febris pestilens putrida solummodo erit, & non diaria neque hectica. Meam hanc sententiam confirmat Galenus *Capite quarto libri primi de differentÿs febrium.*

Quoniam supra dixi aërem inspirãdo & transpirando causare pestim, inde colliget aliquis solum aërem esse causam pestis. Respõdeo, negando consequentiam. Aër enim in peste à contagio causata est condicio

ſine qua peſtis non communicaretur vlli corpori. At verò quando abſolutè dicitur aër eſſe cauſa peſtis, tunc in ſe vniuerſaliter corruptus eſt: quod non accidit quando eſt conditio ſine qua non communicaretur peſtis per contactum.

De ſignis peſtis.

CAPVT III.

PEſtis ſigna innumera ſunt; nam alia habet nulla præter omnium morborum accumulatam complicationem, & coaceruationē. Aliquando dolor premit capitis, vigiliæ, aliquando profundus ſomnus, ſitis, inquietudo, vomitus, aluj fluor, proſtratus appetitus, aliquando fames, color liuidus in cute, aliquando flauus, horrida facies, moroſus vultus, laſſitudo

ſpontanea,crurum debilitatio,articulorum dolor , febris ardens & continua, phrenitis , dementia , morbilli, bubones,carbunculi, ſincope, ſenſus & motus læſi, & cætera ſigna quæ ingentem humorum putredinem denotant. Multoties autem reperitur ſine bubone & carbunculis,præſertim frigore vigente, natura debellata, aliasque ob cauſas vt in peſtis primordio claré conſpicitur ; propterea difficilè non ſolum curatur, ſed cognoſcitur vtrum peſtis ſit morbus qui graſſatur, necne ; quoniam nullus ſcientificus Medicus ægri pulſum contrectare audet , nec inguina & axillas reliquaſque partes,in quibus ſæpiùs bubones latitant, ſoloque tactu & nõ viſu percipiuntur, palpare ; ſed quiſque ſuis perſpicilijs & tubis opticis , adiutus quibusdam theoricis ſignis , aſtrologorum more, (licet Medicis & Chirurgis opus ſit , non autem Aſtrologis) quæ abſtruſa ſunt, quæque ſolius

tactus adminiculo venantur,& noteſcũt,linceo.quodam aſpectu, maximo reipublicæ damno, cognoſcere nititur. Ob id autem permulti, vt indies ferè vidi,peſte cruciati vſque ad mortem illæſi iudicantur; & qui alia afficiuntur ægritudine,peſtiferi à ſummis iſtis viris in arte chimærica & nõ medica probè verſatis, nominãtur. Quia enim ſuus cuique patrocinatur Mæcenas, ita magiſtratum decipere, & reipublicæ illudere permittitur illis.

In eorum tamen gratiam, qui defunctorum cadauera inuiſere ſolent, certiora ſigna à me obſeruata dum peſte iugulantur,exponam.Siquidem iugulato ægro, dum nullum ex conſuetis peſtis ſignis elucet, ſaltim lumbos,nates & pectus ſanguine ſuffuſos, ideoque & ſanguinei coloris, reperies;brachia præterea flexilia ſunt, ob viciniam quam cum corde obtinent, à quo ad artus venenum protruditur, ita & ligamentis veneno ſemel infar-

ctis & imbutis permanentibus,flexile plerũque redditur brachium. Vt hoc ſignum ſine fraude dignoſcatur,cadauer quinque vel ſex horis inſepultum ſeruetur; nã quod flexile eſt vna poſt obitum hora, rigidum poſt ſex inuenietur brachiũ, ſi peſte enecatus fuit ęger; vt in vxore de Bellegous Figeacenſis ſedulò peſte inchoante, annotaui. E podicè ſæpe-numero fætidiſsima fluunt excrementa.

Non ſemper huic morbo febrem annecti, ſatis ſuperque compertum habeo. Quare mihi ſæpe fuit admirationi inſcitia quorundam, bubonem ſine febre ſenſibili, morbi Neapolitani ſurculum eſſe autumantium. Qui peſtium alias eſſe maligniores, alias benigniores & ſine febre,dubitat;accedat, & dictum experientia confirmabo. Puellas autem quaſdam ſextũ, ſeptimum, vel octauum attingentes annum,in quibus clarè apparuit bubo ſine febre,curaui:hasne libidinis capa

ces esse dices? Non; secùs plebeius esto, nec sis sectator eximij Hippocratis & summi Galeni.

DE PROGNOSI.

Capvt. IV.

PEstis, vt aliorum morborum acutorum, prognosis dubia est & anceps; sed sequens à me frequēter obseruata fuit prognosis. Homo pinguis & carnosus cum alui fluore, vomitu, cum bubone vel sine bubone, rarò sanitatem nancisci consueuit. Qui sanguineus est, excedēte plenitudine ad vasa nisi probè remedijs suffultus, morbillis statim erumpentibus, breui expirat. Bubones sicci, post aperturam factam, & nihil fluentes, præsentibus febre & delirio, mortem portendunt. Bubones liuidi,

carbũculi ſupra cordis regionem peſſimi ſunt, & mortis præcones; ſicuti & maxima expiratio cum febre, continuus vomitus; ſudores frigidi, ſudores fætidi & perennes, inquietudines ſempiternæ cum ſomni defectu, morbilli nigri, & precipuè lati, & quaſi ſplendidi: ingens timor, pulſus formicans; ægri trauli, alui fluor diu durãs; bubones retrò redeuntes, nutrices quarum lac non exugitur: & prægnantes ferè omnes. Sani quibus hipocondria tument, & ſi terreſtres ac melancholici, ob ingenitum & connatũ timorem (nihil certè ſibi fore tutum autumant) citius hac lue moleſtantur, quam qui ſanguineo, bilioſo, aut pituitoſo præditi ſunt temperamẽto, quamuis magis apti ad luis ſuſceptionem.

DE

DE VICTVS RAtione.

CAPVT V.

PErfecta victus ratio, in debito ſex rerum non naturalium ordine conſiſtit. Aër enim ægri naturæ cõformis et affinis ſeligendus erit. Feneſtræ in omni peſte promanãte à cõtagio recludendæ; vel ſi hoc fieri nequit alterãdus aër, totum cubiculum oxicrato irrorando, cui parum aceti roſacei dum permiſcebitur, eximié conducet. Hæc irroratio tempore æſtuoſo ſæpiſsimè iteranda, maximè vero ſi ſani vel ægri qui domum incolũt, ad æſtuoſum vergant temperamentum, & decrepitæ nõ ſint ætatis. Acetum enim roſaceum, ſiue ordinarium

(rosaceum tamen simplici præstat) candentibus lateribus, vel sartagini, vel ferro etiam calentibus, affusum, optimum procreat suffumugium aptum & iucundum, miniméque molestum, quolibet anni tempore siue frigido, siue calido; cuilibet etiam temperamento conuenientissimum est. Hoc suffumigij genus, quia sępè à me cũ fruge expertũ, quia facilè a quolibet cõfici & cõparari queat, reliquis ab authorib⁹ pręscriptis & cõpositis ex thure, mirrha, bensoino, storace, lauro, genista, iunipero, roremarino, lauendula, thimo, & consimilibus industrià anteposui. Me itidem mouet, non tantum, quod hæc vltima ab omnibus ęqualiter acquiri nequeant, sed quod ipsorum fragranti odore, cerebrum, maximè iuuenum percuti, spiritus animales in girum rotari, vitales accendi, appetitum minui, & multos eius vsu assuetos in hanc virulentam luem, celeriùs, & faciliùs illapsos fuis-

ſe viderim. Horum attamen ſuffituũ vſum ſingulis in cubiculis vndequaque occluſis quotidiè approbarem,& maximè dum aër vniuerſaliter inquinatus infeſtat, vel quãdo vicinæ ædes hac labe conſpurcatæ remanent, dũmodo omnes vnanimiter exiuerint, & ſuffitus eodem tempore flagrare inchoauerint. Vniuerſa domus à quiſquilijs omnibus maximè fœtidis & lutoſis munda ſeruetur; ſalebroſa & humida loca luculentiſsimis ignibus ſuo ſuperfluo madore deſtituenda; cellam excipe vinariam,cuius aër halituoſo doliorum ſpiramine liber abſque vlla prorsùs impuritate acquieſcit. Vnusquiſque domo exiens, à comitijs & omni ſordidorum hominum arctiori commercio ſeſe detineat & abſtrahat. Domum repetens(maximè ſerui & ancillæ multorum malorum cauſæ)nullus familiæ ſe commiſceat, donec igni appoſitè exhibitus, omnẽ ſpurcitiem veſtibus annexam depo-

nat. Manè percitus quisque, subuculã, reliquaque vestimenta igne excalfieri & exsiccari, maximè verò qui frequenter recentì nequit vti indusio, curabit. Oculi & manus lauentur; vt cõtinet sequens axioma; Lumina manè manus, gelida tibi lauet vnda: item sint nitidæ vestes, comptaque cœsaries. Quibus omnibus probè peractis, munda domus purusque aer longo tempore & fortiter pestiferæ labi obsistere cernentur. Si vniuersus aër Vrbis vel Prouinciæ inquinatus (iam, Deo laudes, purus est) sit pestis causa, fenestræ, nisi micãte phæbo, occlusæ perstent; nec domo exeat vllus summo manè. Rus iturus qui diũ peste inquinata loca incoluit, sui docti Medici consilio & auxilio plethoram vel cacochimam, qualicunque premitur & oppletur, exuat atque sedulò deponat; secus quod testudinosum & consopitum latitarat in corpore virus, pellucidi & puri aëris claritate reui-

uiſcet, & vt in omne corpus pergat & agat, agile reddetur. Archidiaconus Carbonel & Canonicus Trumas Cadurcenſes, inauſpicatò conſilium hoc ſpreuerunt.

Cibus & potus non leue damnum inferunt, ſi lautiùs quam par ſit, ijs vti deſideras. Non enim ſatietas non fames, neque aliud quicquam bonum eſt, quod modum naturæ exceſſerit; ex aphoriſmo. 4. 2. Nõ vnicum etiam cibi genus omnibus præſcribendum, ſed cuilibet vt eius natura exigit, diuerſus exhibendus, etiam ſi videatur ferre aliquid leuiuſculi nocumenti. Ex 50. ſecũdi aphoriſmorum. Quæ lõgo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſunt, inſuetis tamen minùs moleſta eſſe ſolent. 38. eiuſdem libri 2. Paulò deterior potus aut cibus, ſuauiora; melioribuſque quidem, ſed minùs ſuauibus eſt præferendus. Vnde maximè mihi cordi fuit huius ſummi viri dogmata aſſequi & amplecti, alio-

rum autem indiſcriminatim iuſcula quibuſlibet annuentium, ſubterfugere doctrinam. Vidi enim quamplurimos ſolo leguminũ, reliquorumque cõſuetorum ciborum vſu citius á peſte liberatos fuiſſe, quã alios qui præter conſuetudinem ſumptuoſis alimentis nutriti ſunt. Ideoque Gal. 8. methodi. Gaudent enim naturæ conſuetis ſemper.

Chariſſime mihi crede experto, non vllis caloris exceſſu dotatis indulgendum: multos equidẽ vidi adoleſcentes alliorum, laridi, & caſei veteris ſalſi vſu aſſuetos, necnon longa veteris meri potatione, ſuis amaſijs breui valedicere coactos fuiſſe. Non inde tamen inferendum, hæc ijs qui frigidiori prædito ſunt temperamẽto, mediocriter ſumpta, non eſſe ſalubria.

Quæ itaque optima ſunt nutrimẽta, cenſenda veniunt quæ ſunt temperata, quæque ad frigiditatẽ aliquo

modo vergunt. Quare iuſcula ſemper alteranda, lactuca, endiuia, portulaca, vel acetoſa. Scutella vna iuſculi huius probè confecti (acetoſa quæ reliquis præſtat ſit in magna quantitate ebullita: vnica ebullitione alterabit iuſculum quod antea fuit cõfectum; idem dicẽdum de lactuca, & alijs) inijciendo guttas aliquot aceti in quo infuſũ ſit parum cinamoni vel gariophillorum, præſentaneum eſt alexiterium cum præſeruatiuum, tum curatiuum. Præſtantius tamen euadet, ſi eidem iuſculo addetur dr. 1. confectionis de Hyacintho & oui vitellus vnicus. Loco confectionis, ſi imminet periculũ, ſatiùs erit addere dr. 1. alicuius mixtionis infra præſcribendæ, naturæ vtpotè cuiuſlibet magis idoneæ, & atroci malo fortius obſiſtentis. Magnates loco aceti, vtantur ſi velint ſucco acido citri, vel limonum. Ne acida hæc ſtomacho frigido alicuius noceant quibuſdam gariophyllis, vel pauco

cinamomo corrigenda; Nullus exeat domo ieiunus. Tempore prãdij ophæ siue iusculo permisce semper aliquid aceti, aut liquorum prædictorum ad libitum: nam omnia fortissimè obsistunt putredini, pestis matri. Initio prandij, maxime prunorum vsus confert. Tempore cænæ salsa viridis & acetarium probè conducunt sanis. Salsa omnia, nisi parcè sũpta, nocent.

Quamuis vinum albũ deobstruat, sententiæ multorum ipsum indiscriminatim omnibus præscribentium, obtemperandum minime iudico. Nã vinum adeo tenue & clarum facilè sursum capessit, capitique noxam inducit; citò etiam tranans ad vreteres & vesicam, chili complementum non expectat, eumque liquore destitutum relinquit, aut certè portionem eius non exactè coctam in venas vnà secũ rapit; nam moram in ventriculo non contrahit. Contrarios effectus parit vinum rubrum & aliquo modo auste-

rum:nam ſua aſtrictione ventriculum probè corroborat, vt integrè cibos comprehendat; ſua etiam vinoſitate facultates & ſpiritus corroborat. Aſtrictio iſta à terreſtritate emanans, facit ipſum diutinam in ventriculo, ad perfectam chili confectionem, tum vt completum robur & ſubſidium cunctis partibus, earumque facultatibus impertiantur, moram cõtrahere. Quod vtinã in multorum vtilitatem, animaduerterent Saturnini ſeu Spagyrici, qui omnia ad ſpiritualem quãdam (quam eſſentiam vocant) & valdè penetrabilem ſubſtantiam hallucinati reducere (licèt pro ſalubri eſſẽtia fumus tantummodò extet) nituntur.

Somnus & vigilia ſimilitèr naturæ limites ne excedant. Sint tamen inæquales vt cuiuſque temperamentum poſtulat: nam nonnulli, vt pituitoſi & humidi natura toto vitæ decurſu magis indulgent ſomno, quam qui ſic-

cioris ſunt temperamenti, vt melancholici & cholerici. Vitandus ſomnus ſtatim poſt cibum, maximè verò meridianus.

Vigiliæ longæ & intempeſtiuæ febrilem feruorem adaugent, ſpiritusque conſumunt.

Motus & quies mediocritatem ne excedant. Aliter violentus motus, ſeu exercitium excedens naturæ limites, febrem concitabit: vt quies nimia putredinem fouebit. Quarè fæminæ ob carnis laxitatẽ, & vitam ocioſam citiùs feritæ concidunt, quam viri qui maiora obeunt pericula.

Excreta & retenta, conſueto ordini correſpondeant. Fluat aluus ſemel in die. Menſtrua & hæmorrhoides cõcitentur vt res poſtulabit: nimia è cõtra vacuatio cohibenda. In his tamen vt in reliquis, dum res vrget, conſule Medicum. Seminis excretio etſi multis frigidioris naturæ viris non ſit exactè neceſſaria; alij tamen niſi aſſi-

duè coëāt, capitis grauitate infestantur, cibos fastidiunt, febribus sunt obnoxij, deterius coquunt & appetunt, ac denique torpore, pigritia, ac melancholicis accidentibus molestātur. Quare in his seminis retentio, menstruorum suppressioni in fæminis correspondet. Ita ferè Gal. 6. de locis affectis capite 5. dum loquitur de Diogene. Sed sancta venus amplectenda. Qui legitima carent, otia fugant. vt monet Ouidius.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus;
Da vacuæ menti, quo teneatur opus.

Animi pathemata seu pasiōnes, ne cum impetu lucem capiant. Ira repentè febrem causat. Fæneratorum inexhausta cupiditas, vnica est mæroris & tristitiæ causa. Inuidia etiam, quæ dolor est ex alienis bonis conceptus; omnium vitiorum est fœdissimum. Quæ omnia sedulo delenda, ne corpori noxam inpingant, vt sepè contingit.

Atq; hæc de regimine præſeruatiuo communi ſint ſatis

DE PHLEBOTOMIA.

CAPVT VI.

ANtequam phlebotomiam attingam, *peſtis*, quæ plerumque eſt cum febre aſſociata, curatiuas indicationes proponam.

Tres ſunt peſtis indicationes curatiuæ. Prima deſumitur à peſte, quæ alexiteria poſtulat. Secunda à febre, quæ humectantia & refrigerantia. Tertia à putredine, quæ deobſtructionem, vt aliquo modo refrigerationem. Cũ itaque ſanguinis miſſio ſit remedium magnum prædictos implens ſcopos, ab ea intrepidè, primo ſtatim ægritudinis occurſu curationem (quicquid enim dicant nonnulli, hoc magnum & verè ſalubre remedium eſſe, ſæpiſſimè compertum habeo) inchoabis.

Magnitudo morbi, virium robur, ætas florida, maiori ex parte ſint præſto. Si pulſus tamen aliquando reperiatur languidus per accidens (pulſus lãguidus per ſe & per accidens, mediante fideli pulſus contrectatione iudicantur) ſanguis hauriendus, vt natura antea onere oppreſſa ad priſtinos vſque vigores releuetur.

Sanguineis bilioſis, & alijs robuſtis maximè phlebotomia celebranda; melancholicis autẽ & nutricibus rariùs; nunquam verò prægnantibus. Si alui fluor, vel vomitus infeſtant, neutiquam celebrenda. Si tamen parcus ſit vomitus & ſimptomaticus, (idem de alui fluore dicendum) non ideo prętermittenda ſanguinis miſſio: nam aliter in periclitatam naturam, ſtatim pernicioſa labes irruet. Experta cano; ſola namque ſanguinis miſſione, cum recta victus ratione, vtpotè ad humidum & frigidum tendente, multos ſanitati reſtituimus; & hoc Gale-

num ſequuti; etenim, inquit, vel ſola ſanguinis detractione ſic obita, reſtitui olim ipſe quendam adoleſcentem ardentiſſima laborantem ſynocho.

Scindatur vena, ſeruata ſemper rectitudine, v. g. ſi tumor ſit in inguine dextro, ſaphæna eiuſdem pedis aperienda, ſicuti & vena brachij eiuſdem lateris ſi adſit capitis dolor, aut plenitudo, vel ſi febris ardens premat; intereà tamen buboni pertinaciter fixa hæreat toto sãguinis miſſionis decurſu, cucurbitula, ne venenum parti affixum introrſum retrocedat. Medianã & ſaphænam ſatis proſperè eodem tempore, vrgente caſu, fluere iuſſi. Seruata proportione, idem fiet in reliquis tumoribus, ſi adſint. Sanis, ſicuti & ægris, ſanguinis miſſio docti Medici cõſilio celebretur. Sis tamen abſque vlla incuria ſollicitus, vt ægris quadrante horæ aut ſemihora ante ſciſſionem venæ, potionem vel cordiale quid ex præſcribendis à me, vel

ſaltim pauperibus iuſculum aliquod cum aceto paratũm vt ſuprà, vel oxicratum hauriendum, impertias. Tunc enim roborata & adiuta natura, refocillatiſque viribus, obuiam affectibus ſit obex, ſanguiſque facilius quã aliter proſiliet. Sanguinis miſſio celebranda & reiteranda cunctis febre ardente moleſtatis; ſed omnia cum prudentia.

DE PVRGATIONE.

CAPVT VII.

QVicquid dicant nonnulli, purgationibus rariſſimè vſus ſum, niſi paulò ante morbi aduentum, circaque principium, dum adhuc ſimptomata non ſæuiunt, vel lõgè poſt morbi vigorem dum humores iam cocti ſunt; & hoc ſecundum Hip-

pocratem. *Concocta Medicari oportet &c.*aphor. etiam penultimo primi ait *In acutis passionibus rarò & in principijs Medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmidatione faciẽdum.*In cuius aphorismi commentario, diuersos proponit Gal. obices purgationes penitus in principio prohibentes. Vrgentiori enim succurrendum ex Gal. *capit.* 14. *primi ad Glauconem.* Quo in loco monet; si ventriculi anxietas, morsus & imbecillitas adsint,humores non esse vacuandos, priusquam os ipsum ventris corroboretur, etiam si cruditate aut cacochimia æger ipse laboret:sed in crudeli hac lue, quod maximè negotium facessit, est continua febris, continuò adurens, omniaque sæua simptomata vna cum veneno proritans (sine febre pestis valdè mitescit, omnique caret sæuitia.) Ergo & huic precipuè præsidium ferendum; nam non solus ardor mitescit,sed debellatur & ipsa putredo, visque veneni

acerrima retunditur; ſublatis videlicet feruore & putredine ipſum fouentibus. Quare penitius venenum maſſam ſanguinariam tranãs, eidemque tanquam ſubiecto aptiſſimo, vtpotè molli, ſuos impingens caracteres, ſanguinis miſſione, præhauſto aliquo remedio venenum domante, potius quam purgatione euacuandum euenit. Quod autem eſt in parte per ipſam partem emitti debet: vnde experti Chirurgi continuò humorum colluuiem in aliqua parte collectam, per eandem partem ſenſibili aut inſẽſibili euacuatione fornifecùs deturbare conantur. Ergo ſatius eſt ſanguinem extrahere vt corpus facilius tranſpirare valeat, vt putredo extinguatur, plenitudo minuatur, ac febrilis feruor remittatur, quam catharctica remedia naturæ modum & ordinem corruentia, ægris propinanda exhibere; etiam ſi febris hæc nõ ex ſola meatuum cõniuentia, nec à So-

lis ardore originem desumat: (tales enim febres vltra vnum diem porrigi non est necesse) sed ab ipsa venenosa putredine, quam phlebetomia debitè celebrata facilè coërcet.

Febris hæc synochum redolet ardentem & continuam cum leui aliquandò putredine, aliquando cum eximia. His enim febribus, quamuis putridæ sint, nullum celebriùs & cõueniẽtiùs auxilium sanguinis missione. Quare Gal. 9. *methodi. Est porrò continentium febrium præsidium maximum, si modo vires valentes sint, sanguinis diminutio, vel vsque ad deliquium animi.* Et paulò post. *At continentium* febriũ (febris enim pestilens continuæ & continentis rationem ferè semper habet) maxima hæc duo sunt remedia; detractio sanguinis, & potio frigida; hanc doctrinam sequùtus solis sanguinis missione, & vsu oxicrati, numerosam pestiferorum cohortem fæliciter, curaui. Extraxi autem circi-

ter libram vnam pestiferi & maximè corrupti sanguinis, etiam fluentibus quinque prægrãdibus anthracibus & bubone vno, è laniatore Coudet, qui statim conualuit, etsi quod extractũ est putridum quid pituitosum & serosum quam sanguis, potiori iure nominandum. Igitur sanguinis missio exercenda in peste, relicto adhuc purgantium vsu.

Obijciunt nonnulli humores statim in pestis primordio purgandos, quia venenum non recipit coctionem: tum quia materia semper turget.

Ad vltimum respondeo falsissimum esse humores in pestis primordio turgere, nisi rarissimè aut nũquam. Quoniam pestis, vt reliqui omnes morbi; quatuor habet tempora, principium, augmentum, statum, & declinationẽ. In principio & declinatione mitissima sunt omnia accidentia, quæ in augmento & statu aspera & calamitosa cruciant & contorquent ægros: non

ſecus ac Petrus v. g. qui infans & ſenex, fæmineas & imbelles edit actiones; in adoleſcentia autem & iuuentute, vegetiores & fortiſſimas. Tum etiam quia non adſunt in principio turgentiæ ſigna; humores enim prurire ſeu turgere dicuntur, cum motu vehementiori agitati, & à particulis ad particulas transfluentes per morbi initia moleſtant, hominem dolore afficientes, irritantes & quieſcere non permitentes. Ex *Gal. libro quos purgare, qualibus medicamentis, & quãdo oporteat.* Atqui in principio peſtis non talia reperiuntur ſigna. Ergo neque turgentia. Galen. etiam commentario *aph.* 24. Hippocratis præuiſionem addendo (*& hoc cum præmeditatione faciendum*) valdè miratus eſt; quare humores in principio prohibet purgari; quia viſcoſis humoribus ægri referti ſunt, vel præcordia intenta ac inflata, aut ſupra modum calida & ignea; quæ omnia, vel ſaltim nõnulla peſtem fe-

re ſemper concomitantur,.Ergo non eſt in principio peſtis purgandũ. Gal. etiam *9. meth. ait*, calorem omnem febri inimicum eſſe: atqui catharctica calida ſunt, ergo non ſunt propinanda. Ex 13. *etiam methodi* ſegnities à frigore, immodicus motus à calore dimanat. Ergo ne immodicus humorũ motus de nouo conſtituat turgentiã, quæ antea non fuit, à calidis hunc immodicum motum humorũ procreantibus, abſtinendum: nam calida catharctica ad interna viſcera omne inquinamentum corporis duplici virtute, occulta & calida, reuocant. Ergo in principio ſatius eſt vti aliquo refrigerante remedio, quod propriè tale dicetur, quam eo quod per ſe calidũ eſt, per accidens aliquando frigidum; qualia dicuntur catharctica, à Galen. ſupradicti aphor. commentario.

Ad primam obiectionem facilè reſpõdetur, falſum eſſe venenum ſumptum pro humoribus veneno conſpu-

rcatis, non recipere coctionem, multi autem & innumeri curantur pestiferi sine vlla purgatione chatarcticis celebrata; quod non fieret nisi facultates mediantibus earundem actionibus, impetuosum veneni robur humores coquendo domarent. Venenũ attamen sumptum in abstracto (quod fit tantum vi intellectus) pro ipsa venenositate, certum est quod per se & propriè non suscipit coctionem. At nunquam inuenitur ita separata à subiecto. Quare provt coniuncta subiecto recipit coctionem.

Ostẽditur sedem pestis esse massam sanguinariam; purgantia nominantur.

CAPVT VIII.

IN inirriguas sanguine partes venenum non abundè trâsilire, sed in ipsa sanguinis massa, tanquam in septo persistere, non solùm supradictis in progressu rationibus, & Gal. authoritate. *cap.* 21. *lib. tertij de simplic. Med. facult.* sed experientia euidentius adhuc demonstrabitur. Ratio tamen hęc fortis est. Arctissimo vinculo, & connubio cõsociantur pestis & putredo. Atqui huius sedes est massa sanguinaria. Ergo & pestis subiectum est eadẹm massa sanguinaria.

Figeaci primum corpus pestiferũ,

iam ab anno, diſſecare iuſſi, ſiſtēte bubone in inguine eius dextro; partes nobiles integris naturæ attributis dotatas reperi; ſolummodo maſſa ſanguinaria coagulata, grumoſa & aduſta reperta eſt, pulmones verò cærulei vltra modum.

Sed ex æmulis dicet vnus, cadauera omni natiuo calore deſtituta eſſe, proindèque vi frigoris, cuius eſt heterogenea congregare & condenſare ſanguinem in venis coagulari.

Reſpondeo, & probo primò ratione id fieri vi peſtis, non verò vi frigoris. Experientiæ ſequentes vlterius rem confirmabunt.

Quemadmodum vi alicuius facultatis ſecretioris, coaguli vituli momētum vim habet inſpiſſandi & coagulandi lactis copioſam quantitatem, ſic & qualitas hæc occulta ſeu tota ſubſtantia venenoſa, habet vim coagulandi maſſam ſanguinariā; ergo coagulatio non fit à frigore, ſed à quali-

tate peſtilentiali occulta & venenoſa in ſubiecto calido, ſanguine; non ſecus ac lac dum coagulatur, priùs calidum redditur. Aura ſiue vapor venenoſus,non ſecus ac oleum, quod cuilibet quod attingit corpori pertinaciter adhæret,maſſæ ſanguinariæ impingitur; vique deinceps facultatis occultæ venenoſæ coagulatur, ineptaque tandem motui redditur; vnde perfecta putredo, quæ maximoperè quietis ſoboles elucet, conſequitur. Sanguinis deinde ſerum impensè peſtiferum, vi caloris feruet, tranſuehiturque ad partes vſque nobiles, reliquaſque omnes; quod ſi fæcũdè ſanguini ſupernatet, turgentiam minatur, & inquietudines crebrò ante morbillorum eruptionem, ſæpiſſimè mortem:nam vna cũ fuliginoſis ſpiritibus vi feruoris elatis, venenum aſſiduo ad cor calidiſſimum viſcus, relegatur;huius autem euentus verum & vnicum remedium eſt ſanguinis miſ-

ſio, cliſteres,& alexiteria.

Cadurco autem,caniculari menſe, rus accerſitus, phlebotomiam cuidã iuueni ſanguineo & bilioſocelebrare curaui; tuſa vena nihil fere ſanguinis exilire perſpectum fuit. Quare dubitans ob Chirurgi incuriam me mea propoſita meta fruſtrari, ægri brachium ipſe perſpexi, reperique vulnꝰ ſcalpello inflictum, probè & ſecundùm artem factum fuiſſe; venam vndequaque digitis comprimens guttulas aliquot ſanguinis feruidiſſimi, coagulati tamen, extraxi; poſt temporis puſillum conualuit.

E quodam Iuliano, qui cum duobus diebus conſopitus exiſteret; exiguo premebatur vomitu; extractus fuit ſanguis ad lib. 2. ſanguis erat totus ferè aduſtus: Maximus naturæ & morbi ſucceſſit conflictus. Manè tamẽ placabili ſuperueniente ſomno conualuit. Parotis ſiniſtra, qua premebaur, euanuit; tumorque axillæ dextræ,

antea ſemireconditus, euidens in in lucem prodijt.

In hoc peſtiferorum Xenodochio Michael Cardailac Chirurgus,& bonæ indolis iuuenis, me iubente, tria vel quatuor corpora tepore quodam adhuc prædita, anatomico ritu aperuit. Quorum primum morbillis nigris coopertum in adene dextro nõ multum inflato bubone, vexabatur. Sciſſa glandula leuiter admodum inflata, quæ in ipſo coxendicis plexu fixa apparuit, nihil præter naturam in ea cõtentum fuit; ante obitum tamen ægri dolorificum ſenſum inuexit. Sed paulò ſuperna perluſtrantes, vt duobus digitis à glandula, ſuper panniculum carnoſum, texturas quaſdam ſpongioſas flauo colore præditas, comperimus; è quibus, dum digitis aliquantulum premeremus eas, ſubſtantiam quandam tenuem, flauam, oleoque ſimilem emũximus ipſi; ſed prima vice dum nouacula ſcinderentur, ſero-

ſæ guttulæ flauæ ſua ſponte pendebant & fluebant. Progreſſu facto ad hepar vſque, chiſtim fellis valde præter naturam bile diſtẽtam, regurgitãtemque, illæſo prorſus hepate, adinuenimus; Gradatim ad cor accedentes, nihil in eius conuexitate extranei apparuit; ſed vtrinque arteria venoſa & vena arterioſa, ipſiſque adhuc cordis ventriculis reſeratis, ſanguinem vtrumque, arterialem nempe & venalem, compactum & coagulatum, etiam in vniuerſis maioribus vaſis, perſpeximus. Vtrumque tamen ſanguinem calidum fuiſſe, propria manu porrecta, comprobaui. Miſeros pulmones omni natiuo colore exutos perſpeximus. Reliquæ corporis partes ſanæ repertæ ſunt.

In ſecundi corporis ſciſſione, bubo ſub axilla dextra apparuit, in cordis ſuperficie extima ſeu conuexitate, duo morbilli nigri reperti ſunt, in pulmonibus verò, non duo, ſed innume-

ri. Paulo ſupra medium lobum pulmonis dextri,corpus quoddam ſpongioſum atque fibroſum , vt ſupra inguen primi corporis à nobis diſſecti, quod pleuram inter ſecundam & tertiam coſtas inexplicabili nexu , niſi vim inferendo,attigit ; venenumque buboni licèt adhuc exiguo, ſuppeditabat ; huiuſque corporis ſpongioſi cum pulmonibus & pleura vinculũ, natiuum pulmonum motum,quo cor fuliginoſo deplent fumo,eique refrigerium conducunt,cohibuit.Sanguis vt in primo corpore repertus fuit coagulatus;reliquæ partes conſtitutionem naturalem ſeruabant.

In tertio à nobis aperto corpore, emunctorium cerebri dextrum obtumuit; duo anteriores ventriculi cerebri,flaua tepidaque ſeroſitate oppleti ſunt reperti. Cerebellum , contra naturæ decretum , multo molliùs cerebro manibus noſtris apparuit ; Et hoc,credo,contigit,ob ſeroſitatis pe-

netrabilitatẽ deorsùm tendentis. Vigilijs autẽ per aliquot dies ante obitum damiſella infeſtabatur ; deliramenta proferebat. Materia purulenta in glandula latens(quia non multum intumuit, ſed exigua & profunda apparuit, cauſtico vllo, ob loci etiam naturam, ipſam aperire non ſumus auſi) viam ſibi iuxta trachæam arteriam ad pulmones vſque fecit ; vnde pulmones ſchirroſi redacti ſunt.

Præter ſanguinem, alia omnia debitum naturæ ordinem ſeruarant.

Ex his clarè conſtat bubones, ſimptomaticè præcipuè eluceſcentes, ſtatim in initio (quicquid garriãt nõnulli) cauſtico potentiali (vt capite de bubone dicemus) aperiendos.

Cum igitur clarè pateat, maſſam ſanguinariam maximè & precipuè ſedem cõſtituere peſtis, ſanguinis miſſio & cliſterium vſus, purgationem longè antecedent: nam rariſſimè purgantium vſum tutum fuiſſe obſerua-

uimus, ob ingẽtem, meo iudicio, massæ sanguinariæ feruorem; proptereaque purgantium vsum tempore calido vetat Hippocrates aphor. 5.4. Sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes; sanguinis vero missionem & clisterium vsum debitum sæpissimé & singulis ferè diebus. Quia tamen multi clisterium vsum abhorrent, sequentia tutò propinentur pungantia, quæ mihi valdè sunt familiaria.

Pro biliosis.

Recipe rhabarbari electi & infusi per noctem in vino claro drach. j. semis. cinamomi scrup. j. triphera persicæ vnc. semis. syrupi rosati laxatiui vnci. ij. aquarum borrag. & acetosæ quãtum sufficit, fiat medicamen purgans in aurora secundum artem exhibendum, vel.

Recipe syrupi rosati solutiui. vnc. iij. syrupi de cichorio rheo duplicato vnc. ij. vini parum. Fiat potus quem hauriet mane hora commoda. Potus

hic quia benignus & ad frigiditatem vergens, securè largiri poterit.

Pro pituitosis.

Recipe agarici trochiscati drach. j. citri solutiui drach. iij. diacatholici dr. ij. syrupi rosati solutiui vnc. ij. aquarũ cordialium vel vini clari quod sufficit. Capiat in aurora cum regimine.

Pro melancholicis.

Recipe senæ optimæ & mũdatæ vnc. semis infundatur in vini sufficienti quantitate per aliquot horas. Expressione facta, adde diasenæ drach. iij. syrupi rosati laxatiui vnc. ij. aquæ acetosæ vel borraginis quod sufficit, capiat vt decet in aurora.

Quorum aluus astricta soluenda, cuiuscunque sint temperamenti, sequentia magis conducunt, quam antecedẽtia: quoniam hæc, antecedentia scilicet non sunt exhibenda, nisi adsint aliqua coctionis signa; At vero sequentia plerisque clisterium vsum auersantibus (aliquando etiam ob

pharmacopolarum defectum cliſteres vt decet non inijciuntur,nec probè ſecundum Medici voluntatem cõponuntur) cuiuſcunque ſint temperamenti,præſente etiam ardentiſſima febre,alijſque ſæuiſſimis ſimptomatibus:quoniam hæc benigniſſima ſunt

Recipe ſyrupi roſati ſolutiui & de cichorio rheo duplicato ana. vnc. ij. cum iuſculo pulli alterato oxalide & borragine,vel ſaltim alterutra,capiat æger duabus aut tribus horis ante paſtum matutinum.

Aliud optimum remedium purgatiuum & refrigeratiuum.

Recipe pulpæ tamarindorum vnc.j.ſ. cinamomi. ſcrup. j. gariophillorum numero vj.infundantur tota nocte in ſufficienti quãtitate vini albi & aquæ oxalidis ; fiat expreſſio , addaturque aquæ oxalidis quantum ſufficit. Capiat æger duabus , tribuſue horis ante prandium vel cænam,vt res poſtulabit. Aliam inferius tamarindorum

facilem præparationem huic negotio vtilem aſſignabo.

Tertium.

Recipe polipodij quercini drach.*j*.ſe. vel drach.ij.vel longitudinẽ medij digiti, ex recenti: nam polipodium vetus conſtipat potius quam purgat: conquaſſetur groſſiuſculè nec in pollinem reducatur: immiſceatur ophæ, (cum ſolo autem iuſculo ſine pane, non aptè aluum exonerat) cuius iuſculum alteratum ſit borragine, acetoſa & ſpinachijs, vel his deficientibus, caulium folijs leuiter ebullitis. Capiat opham qualibet hora, ad libitum.

Quartum.

Recipe decocti prunorum vnc.vj. ſenæ pulueriſatæ drach. j. cinamomi ſcrup.ſemiſ.miſce omnia; capiat hora vnica, vel circiter, ante paſtum.

De Clisterium vsu.

Capvt IX.

QVoniam multa supradictorum remediorum vsum (de postremis quatuor non loquor, quæ qualibet hora vtilia sunt) & administrationem impediunt, etiã si materia turgeat; ænematum semialexiteriorum subsidio, sæpè indicationibus curatiuis satisfeci: Ruta autem hac in re singulares obtinet dotes: nã ab ipso capitis vertice, ad podicem vsque materiam turgentem affatim atque repentè allicit. Quarè quoniam longa ac proba doctissimorum virorum consultoria oratione, cum in Hispania, tum alibi, mirabiles eius dotes, in apoplecticis, caroticis, lethargicis, alijsque cephalicis affectibus cõprobaui, vt subtilem, tenuemque serosã

& venenoſam materiam,turgentiam prænunciantem,euacuaret, huius virulentæ luis primordio, eius periculũ feciſſe non ſum dedignatus; Quo facto; ſola rutaceorum cliſterium iniectione, & ſanguinis miſſione multos ſanitati reſtitui curauimus.

Etſi quamplurimi & diuerſi ſint cliſterium ſcopi & vſus; hic tamen tres tantum ſtatuam ſpecies. Prima carminans dicitur, ſecunda leniens; tertia refrigerans. Prima cliſterium ſpecies conuenit præcipuè quibuslibet ſopore affectis. Vt.

Recipe decocti ruthæ, (vel ruthæ & aliarum herbarum carminantium) quantum ſufficit, benedictæ vnc.*j*.ſe. mellis anthoſati & mercurialis an. vnc *j*.olei rutacei & violacei an. vnc.*j*. ſemiſ. ſacchari rubri vnc. j. vitellos ouorum numer.ij.miſce & fiat cliſter inijciendus hora commoda.

Sequens cliſter lenit,& pugat mediocriter.

Recipe decocti herbarum emollientium & hordei integri quantum sufficit, diacatholic. drach.x. mellis mercurialis & rosacei an. vnc.j semis.olei rutacei & violacei an. vnc.j. vitellum vnum oui, salis parum, misce, fiat clister.

Sequens clister refrigerans ardorem compescit, somnum conciliat, phrenesim & inquietudinẽ cohibet, materiamque turgentem inspissat. Recipe decocti lactucæ vnci. x. olei violacei vnc.ij. vitellos ouorum num. ij. vel duo oua integra, camphoræ scrup. j. misce, fiat clister iniiciendus hora somni.

De remedijs curatiuis & præseruatiuis authorum; Alexiteria non debent esse calida.

CAPVT X.

PRæseruatiuorum & curatiuorum remediorum, vastam, amplamque syluam congesti sunt nonnulli rei medicæ scriptores, omnique delectu ex recentioribus aliqui, veluti hæreditaria successione, indies collectanea quædam ex veterum monumentis, absque eo quod ad praxim priùs remedia transferant, audacter seligunt. Nihil prorsùs facilius, quam eximijs, diuersisque encomijs, theriacam, bolum armenam, angelicam, mithridatium, quampluraque exotica & velu-

ti exucca remedia, domesticis, familiaribus, plenoque vigore refertis, penitùs despectis, dum quis in suo musæo inter libros versatur, extollere; ast operi manum porrigere nullatenus audent: quoniam hoc opus, hic labor est. Quocirca, neutiquam perplexè, quamuis calumniandi pruritu percitus, Plinius testatur; si de paruo vulnere sit quæstio, mare rubrum ab interlocutoribus in medium transfertur, domesticis quæ quotidiè persentire & deglutire consueuimus, omnimodè spertis. Hæc autem magno dedecore à quibusdam sinistrè rē medicam perlustrātibus, incautè prælabuntur: nam cœli solique nobiscum assidua obseruata societate, quæ soli cælique ambitu persistunt & teguntur, eadem & vtriuslibet assueto fomite contenta coluntur. Quare ob ipsorum inexplicabilem affinitatem & nexum, multo mitioribus certioribusque inducijs nobis insidiantur,

quam quæ peregrina & fucoſa, à mari rubro, Indijs, reliquiſque finitimis orbis locis, mercatorum vafra ac fæneratoria induſtriá, aduehuntur remedia.

Nec inhumanam adhuc quorūdam technnam ſileo, qui dum omni pernicioſa ſegnitie, quo minus ægrum propiùs conueniant, imbuti ægrorum tamē animos falſis perſuaſionibus pelliciunt, ne ſanitatis Medicū aut Chirurgum accerſant: tandem quæſtus gratia, miſeros ægros ob cumulatam remediorum farraginem exhibitam, trucidare non verentur. Nec mirum. *Nam*

Quid non eheu, mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames, ſcelerumque immenſa voluptas?

Siquidem.

Prima peregrinos obſcæna pecunia mores intulit.

Quamobrem, hac illac circumcurſantes, longèque à vera medendi

methodo deuiantes, theriacam cum aliquo diaphoretico calidoque liquore, veluti vitalem ſuccum, & ſpiritum vitæ Saturninorum ſeu Spagyricorum, ægris propinandam præcipiunt: vt ſuperiori anno quidam mihi cognitus, à quo dum remedium aliquod efflagitaretur, omnibus iugiter & immutata voce, vſum theriacæ & aquæ ſcabioſæ, ſatis infælici ſucceſſu, præcipere fuit ſolitus; Illicò namque, viribus ob ingentem feruoris actiuitatem ſuccumbentibus, penitùſque tandem proſtratis, multos, ſicuti & reliquorum vim naturæ inferentium vſu, vitam cum morte commutaſſe perſpeximus. Conſimiles autem viri ab Apolline & Mercurio longe recedentes, Philoſophiæ & Medicinæ prorsùs immemores, debitum naturæ ordinem præpoſterum conſtituunt, dum quod ſenſui tactus verè obijcitur, ad ſenſum viſus, quaſi eſſet ſenſibile commune, trãsferunt.

Qui quidem omnes perperàm mihi videntur facere, dum ſenſibilium rerum cognitionem, laborioſo conſequi ratiocinio moliũtur. Quis, quæſo, vel leuitèr in Philoſophia & Medicina inſtructus negabit quatuor primas qualitates calorem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, eſſe præcipuum ſenſus tactus & non viſus, obiectum? Ergo nullus mortalium negabit calorem febrilem peſtis, tactus iudicio & non viſus obijci. Senſus verborum *Galeni. 2. de temperamentis* ſequens eſt. *Nam cum eorum quæ actu calida ſunt, alius eſſe iudex, quam tactus nullus poſsit, ſanè ſi multos viros, tum ſenes tum adoleſcentes, tum pueros tum infantes tetigerint, inuenient facilè qui magis minuſue calidi ſint. Ego ſiquidem quod actu calidum eſt, tactu iudico.* Et paulo poſt. *Ergo calidi frigidique corporis, ſolus tactus eſt iudex.* Quomodo igitur qui Galeni doctrinam, Galeniſtas ſe nominantes, conſequuti,

audent contra Medici munus, qui Philoſophus ſenſibilis, dum ægris medetur nominandus, ægrorum curã amplexari, neſcientes pulſus ſtatum, qui caloris natiui vigorem ſine fraude prodit; cum pulſus ſemper caloris cordis ſit index? Neceſſum equidem iudico vermicantis & formicantis pulſus diſcrimen, quibus ægri in extremo vitæ pollent, ad amuſſim dignoſcendum; vt caloris receſſum, intenſionem & remiſſionem perfecta cognitione nanciſci valeamus; ſicuti & diſcrimen inter pulſum languidum per ſe, (tunc ſæpe videntur conualeſcere loquela & vultu ægri, ſtatim attamen, contra longè diſtantium opinionem moriũtur) quo præſente ſanguinis miſſio prohibetur; & pulſum languidum per accidens, quo adueniente venam ſcindere fas eſt. Quæ omnia ab vllo mortalium nequaquã, niſi ſedula pulſus cõtrectatione præuia, nequaquam, vt decet, dignoſci

possunt; Sicuti nec sola scientiæ acquisitione absque experientia, simptomatum sæuitiam in cõplicatis morbis, qualis est pestis, compescere.

Saturnini Hippocrati & Galeno minimè annuentes suo metallorum croco, aqua clareta, extractis, & essentijs calidis, ac violentis in plurimorum perniciem semper vtuntur.

Quod quamplurimos ex nostratibus, vt calida & fortia præscribant pestiferis remedia, commouit; sicuti & Saturninos nostrates consequentes, est aphorismus. 6. libri. 1. Extremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.

Sed huic obiectioni facilè respondetur, Hippocratē supradicto aphorismo loqui de tenui victu, qui in morbis extremè acutis (cuius generis non est semper pestis,) debet esse, aut nullus aut tenuissimus. Victum enim sæpè vocat remedium. Attamen demus Hippocratem loqui de remedijs ex-

tremis:non inde tamẽ ſequitur in peſtis curatione nos vti debere extremis iſtis,niſi in ipſo vigore. Quoniam peſtis non habet ſtatim extremos labores: quatuor enim habet tempora. Quare in principio vti debemus remedijs benignis, quæ vim habent refocillandi vires & ſpiritus reſtaurandi,vt tutè natura virulentis morbi inſidijs obſiſtere valeat; Non verò caliſſimis, vt ſunt theriaca, angelica, ſcordium, ruta, confectio al*k*ermes, extracta, ſales, & ſpiritus Saturninorum. Nec in ipſo morbi vigore debemus his magnis vti remedijs, quoniã adaugẽt febrim, quæ tunc præcipuè extremos inducit labores; ergo contrarijs frigidis tuncvtendum,quæ vim habebunt ſedandi & extinguendi febrim,nec non ingentem putredinem eius cauſam precipuam:contraria nãque contrarijs ſedantur. Ergo ſi vlla extrema debuiſſent exhiberi remedia peſtiferis commoda; frigida ſunto;

quoniam tribus curatiuis indicationibus à nobis ſupra præſcriptis, correſpondent frigida; febrim remittũt, putredinem arcent, venenumque domant, inſpiſſant, & eneruant, idque ad omnem turgentiam ineptum reddunt.

Concludendum igitur in peſtis curatione neutiquam vtendum calidis iſtis remedijs & ſudorificis: quoniam ex *aphor.* 51. *lib.* 2. *plurimùm atquę repentè euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouerè, periculoſum: quoniam omne nimis eſt naturæ inimicum; ſed quod paulatim fit tutum eſt, tum alias, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit.* Galenus itidem præſcribens alexiteria iis qui veneno referti ſunt, ait remedia alexiteria debere eſſe benigna, ita vt ſuperent aliquo modo corpus læſum, & ſuperentur à veneno; ſintque medium æquè diſtans ab vtroque, à corpore nempe & veneno. Senſus ver-

borum Galeni *capite.17. libri 5. de simplicium medicamentorum facultatibus, hic est.* Cæterum alexipharmaca medicamenta,ſanè facultate ſunt media inter corpora quæ oblæduntur & medicamenta lædentia (loquitur ibi de venenis ſeu medicamentis deleterijs indiſcriminatim) vt videlicet eadem ſit proportio corporis ad facultatem alexiteriam,quæ illius ad deleteriam. Quamobrem omnia propemodum quæ deleterijs aduerſantur medicamentis(id eſt veneno,)ſi largius sūpta fuerint, grauitèr animantis corpus offendunt. Quapropter ea exhibeantur moderatione , vt nec copia nimia corpus oblædant , nec exiguitate ſua à deleterijs vincantur. Ratio propter quam alexiteria ſiue antidota debent eſſe benigna ex Gal.eſt;quia venenoſa ſecundum ſuam temperiem aduerſiſſima ſunt corporibus quæ læduntur;Ergo inquit Gal. ſi alexiteria ſeu antidota quæ venenum euacuant,ſint

ſimilia veneno ſecũdum temperiem; lædent corpus æquè benè ac venenũ. Et ſic corp⁹ ab ambobus cruciabitur, morsque tandem ſuccedet. Ergo & venenum peſtilens quod aliquando tertio gradu, aliquando ſecundo (vt enim febrilis calor infeſtet, ſatis eſt vt ſit calidus in tertio gradu; vt iugulet in quarto, vltra quem non datur quinctus in ordine ad hominem) aliquando initio quarti gradus, calefacit corpora, eaque cruciat & adurit, malè & perperam curabitur remedijs quæ ſemper calida ſunt in tertio vel quarto & vltimo in ordine ad hominem gradu. Vt ſunt theriaca, mithridatium, confectio alearmes, Angelica, ruta, ſcordium, ariſtolochia, imperatoria, gentiana, vlmaria, allium, gariophylli, nux muſcata zedoaria, Iuniperus, coſtus, geniſta, arthemiſia abſinthium, enula campana, laurus, roſmarinus, lauendula, piper, Zingiber, dictamnus, & ſimilia, quæ in ſecundo

cundo gradu completo, vel tertio & quarto calefaciunt.

Medicus itaque qui debet esse minister naturæ, curet ægros remedijs benignis; remissum enim remittit intensum: duo etiam mediocriter fortia, vincent vnum alterutro licèt fortius; sic natura ex vna parte, & remedium benignum ex altera vincẽt forte venenum vires labefactans. Saturnini longè aberunt à Galenistis: nam vt carnifices naturæ, summa petulantique audacia, sua extracta, essentias, sales, & reliqua, simplicibus, è quibus extrahuntur multò calidiora, ægris quotidiè exhibere non verentur.

Animaduertãt quæso omnes quomodò temperamentis calidis interdicat ipsemet Gal. vsum theriacæ *libro de theriaca ad Pisonem. At verò theriace vtendum est post absolutam coctionem, interdum quidem instar Ægyptiæ fabæ cũ binis aquæ cyathis* (aqua enim frigida & humida calorẽ theriacæ retũdit, ideo-

que præſcribit aquam) *vbi exiguum ad concoctionem ipſius interuallum erit: interim vero auellanæ nucis magnitudine ex tribus aquæ ciathis , cum plus temporis ad Pharmaci diſtributionē es habiturus. Cæterum per æſtatem neutiquam id Pharmacum capere conſuluerim. Similiter ætate florentibus, calidiſsimiſque naturis, nec multum , nec ſæpè id exhibendum cenſeo: ijs vero qui iam inclinant* (hos qui ad ſenectutem vergunt intelligit) *& plurimum, & crebiò, nō ex aqua, ſed ex vino vt propinetur , ſuadeo. In pueris omnino vitandum* (hoc aduertant Chirurgi & Pharmacopolę, qui ſæpe contrarium faciunt) *id medicamen eſt, vt quod facilè corpora eorum diſſoluat. Memini ſiquidem aliquando puellum ex intempeſtiuo vſu antidoti diſſolutum fuiſſe.*

Prędictæ ſummorum virorum authoritates, me à morbi primordio impulerunt , non niſi rariſſimè in vſum reuocare remedia calida & ſudorifica; tum quod horū vſu (omnia enim

ab authoribus præſcripta remedia, ægris præſcripſi & ego, donec multis, quibus adornantur ab illis, encomijs deſtituta fuiſſe clarè comprobaram) perpaucos euaſiſſe ſanos viderim, etſi innumeri ſuis ſudoribus inmerſi quotidiè perſpiciantur. Rationem inueſtigans, cur qui copioſius exudant citius ſæpenumerò moriantur, quam qui nullo modo ad ſudandum ſunt perciti, non aliã eſſe iudico, niſi quòd venenum in omne viſcus ob antidoti aſſumpti feruorem, affuſum & tranſmiſſum, altiores, firmioreſque inſerat radices; Et hoc ideo fieri conſueuit, quoniã quamprimũ alexipharmacũ aſſumptum theriaca verbi gratia, in ægri corpore ferueſcit, omnia corporis inquinamenta, antea ab internis partibus ad ipſius corporis habitum, cutimque ipſam auulſa, vi intenſioris caloris ad viſcera reuocantur, ſicuti à facultate occulta remedij omne corporis venenũ antea diſperſum. Non

ſecus ac duplici facultate, manifeſta vt calore, & occulta remedij purgãtis humor omnis ſuperfluus ad inteſtina vſque reuocatur, vt probè dictat *Gal. c. 16. quincti de ſimpliciũ medicamentorũ facul.* Attrahit enim perpetuò calidũ; repellit verò frigidũ; ex eodẽ c.

Secunda ratio propter quam qui impensè ſudant moriuntur, eſt quoniam ſerum ſanguinis, ſudoris materia, ſudoribuſque euacuatũ, maſſam ſanguinariam prorſus immobilem relinquit; Quare & ipſa ſanguinaria maſſa illicò putreſcit, mortemque cõcitat; Sudoribus verùm, qui corpora habent laxa, pinguia, & humida aliquando curantur.

Firmum tamen, fixumque perſtet calida alexipharmaca pro hoc malo reſpuenda niſi rariſſimè, & cũ cautela, ea nempe, dum exhibentur, frigidis contemperando, niſi ſenex vel pituitoſus vel melancholicus ſit cui remedia adminiſtrantur.

DE PRESERVAtiuis, & curatiuis à me expertis.

CAPVT XI.

HIs qui vnico tantum alexipharmaci genere vti prohibent ſed theriacam hodiè, cràs mithridatiũ, poſtridiè opiatam Salomonis, & ſic de cæteris, veluti de nullius facultate contra peſtem incerti, præſcribunt, minimè obtemperandũ cenſeo. Siquidem *natura* vnius remedij vſu aſſueta, veluti natiuo huius vigore, ad aduerſa omnia debellãda veſtitur. Mithridates hoc cõſiliũ probè obſeruauit, cuiꝰ natura antidoti ſui ob huius quotidianum vſum, naturã ita contraxit, vt veneno copioſè epo-

to, dum mortem conſciſceret; quia à Pompeio victus, vita nullatenus deſūgi poſſet: donec Pyſti ſui familiaris ferro concidit. Quoties verò remedia quæ ſua natura longè diſcrepant, in dies exhibentur, toties ſiue ſani ſiue ægri naturam impetuoſo motu agitãt ac diuexant. Enimverò non aliam ob cauſam ab Hippocrate & Galeno inter anni tempora autumnus cenſetur inſalubris, niſi quia vnus dies frigeſcit, alter caleſcit, ſequẽs tepeſcit, humeſcit & alius, aliuſq; ſicceſcit; quæ vno eodemque die ſæpè etiam contingunt inæqualitates, quibus noſtrũ corpus ad diuerſas obeundas ægritudines diſponitur. Ergo medicamenta quæ tales inducunt inæqualitates delenda; Quomodo quæſo tempore peſtis quiſque poſſet ad tot diuerſitates complendas, domi ſuę Pharmacopolæ officinam cõſeruare? Cuilibet igitur pro ſua natura præſcribendum remedium. Alexipharmaca calida, fri-

gidis dum exhibentur contemperentur, nisi frigido & humido regnante tempore, vel loco, vel natura, vel ætate, vel victu, vt dictum est.

Preseruatiua & curatiua remedia, diuersis capitibus non depingo; quia eadem sunt; sed illa partiùs assumẽda quam hæc; tum quia quæ à me præscribũtur antidota benigna planè sũt.

Manè victus assumẽdus mediocris: (nam qui matutinis indulgẽt copiosis epulis, cõsopiti toto die persistũt) nam *ex decimo methodi*; corpora, precipuè calida & sicca, ex inedia facilè in febres ardentes incidunt, ex Hippocrate idem consilium confirmatur. Partes autem corporis familiari & mediocri nutrimento tutè corroborantur, vt veneno fortius obsistant.

Pro biliosis, sangineis, florida ætate vigentibus, ardentique febre, cuiuscunque sint temperamenti, oblæsis.

POtus sit oxicratum, vel aqua fontana in qua tamarindi & parũ ci-

namoni tota nocte præcedente infusa decubuere, vel ptiſana; quibus aliquando, ſi æger delinquit, parum vini permiſcebis. Longè à paſtu cyathis ſingulis guttulas aliquot ſpiritus vitrioli, addes.

Cibus cum mediocritate aſſumendus: ſi cibos æger auerſatur, quod ſæpè ſolet fieri, exhibeatur iuſculum alteratum lactuca, acetoſa, pimpinella, vel endiuia & borragine, cui permiſcebis momentum aceti: ſemel in die, vel bis; vt manè & veſperi, ſi æger cruciatus patitur, parum confectionis de hyacintho, vel alicuiꝰ ex ſtatim præſcribendis mixtionibus & conditis. Hordeatum etiam cibus eſt & antidotum; cuius deſcriptionem paulò poſt aſſignabimꝰ. Panis portio torrefacta & calidè immerſa aquæ, cui momentum vini permiſcebitur, languidum exhilarat ægrum, dum deglutitur; aridas linguam & gulam irrigat.

Ægri qui alimenta omnia abnegant, cogendi vt aſſumāt, eos paruis colaphis & impetibus,dum conſopiti decumbunt,moleſtando,nareſque digitis comprimendo,vt os,velint,nolint, ad reſpirandum recludant, ipſumque poſtmodum liquido nutrimento oppleatur. Sæpè huic rei operam nauās, ipſe multos curaui, qui alioquin in æternum decumberent.Serui enim & ancillæ prædam anticipare viſuntur: lucro enim ſtudent. Cognati, veluti iuncus in rapidorum fluminum ripis, tremuli de mortis aduentu anguntur. Quare ne ſanitatis Medicus delicata manu, & pulpis tantum digitorum ægrum attingat; ſed dexterrimè, & forti alacrique animo omnia tūc munia,etiam ſerui; vt ſe verum hominē, & Chriſtianum eſſe commonſtret, obeat.Iubeat Chirurgos ſuo munere probè & exactè fungi. Salſa (ad rem accedens) ſit acetum, & roſaceum ſi fieri poteſt,correctum cinamomo &

gariophyllis. Succus acidus citri, & limonum ita etiam correctus, magnatibus proderit, addendo insuper parũ aquæ rosaceæ ad gratum odorem, & spirituum restaurationem vtilissimæ.

Abluantur manus, nares, frons, & tempora, oxicrato si sint pauperes; si diuites aqua rosacea cum guttis aliquot aceti, & vini, si æger lãgore prematur. Caue tamen abluere emunctoria hoc liquore, aut simili; quoniã acetum venenum exiliens ad cutim & emunctoria, statim, multorum dãno, vt sæpe vidi, ad internas partes repercutit.

Spongia aceto rosaceo (huius penuria aceto cõmuni miscebis aliquid aquæ rosaceæ) in quo infundũtur santalum citrinum, gariophylli & cinamemum, madida, naribusque sæpè apposita, superaddendo, si vis guttas aliquot vini, maximè proderit, cùm sanis, tum ægris.

Cubiculum, præſertim dum viget æſtus, oxicrato irroretur; propè ſpondam lecti ægri poteris è vaſe in vas oxicratum ab alto infundere, vel doliolum oxicrato plenum propè diuitum ſpondam collocare, è quo in lebetem vel cacabum leniter liquor decidet, qui ita proſiliens ab alto, cubiculi aërem antea æſtuoſum & putridum corriget; hicque correctus, quia inſpiratur ab ægro, febrem, putredinē & venenum oppugnabit, ſomnumque conſiliabit, ſpirituſque addendo aquæ roſaceæ modicum, regenerabit, & recreabit.

Cliſtere leniente aluus libera maneat. Cliſter frigidus hora ſomni inijciendus. Prunis vtendum ſingulis diebus, ſicuti & ipſorum miua.

Sanguis, ſi nihil extrinſicè appareat, audacter hauriendus ex cōmuni dextra prius, poſtea ex ſiniſtra: caue ne prorogetur phlebotomia; alioquin, apparētibus præſertim morbil-

lis nigris, te pænitebit. Si apparent bubones vel carbunculi, non ideo à ſanguinis miſſione abſtinendum modo febrilis àrdor, capitis dolor, vigilia, phreneſis, & ſimilia, vrgeant; prius tamen tumoribus applicentur cucurbitulæ, quæ fixæ hæreant, quamdiu ſanguis è vena ſcatet; ſemihora, vel circiter ante ſanguinis miſſionem ſumat æger, ſiue ſanus vnum ex potibus ſtatim præſcribendis, vel drach. j. alicuiꝰ mixtionis ex dicendis etiam, cum iuſculo óxicrato, vel per ſe, vel cum alio liquore ad libitum.

Mixtio Prima.

Recipe mithridatij & confectionis de hyacintho an. vnci. *j.* radicis tormentillæ drach. ij. boli armeni, coralli rubri præpar. an. drach. j. diamargaritonis frigidi & diatriaſantali an. ſcrup. *iij.* ſacchari candi drach. *iij.* conſeruæ acetoſæ vnc. *ij.* camphoræ ſcrup. j. ſyrupi de ſucco limonum quod ſufficit, fiat mixtio in modum opiatæ capiat

drach.j.vel ſcrup.iiij. per ſe, vel cum liquore conuenienti ; deme conſeruã ſi vis vt remedia fortius agant.

Mixtio ſecunda.

Recipe mithridatij. vnc.ij. boli armeni, terræ ſigillatæ & radicis tormentillæ an.drach.ij. diamargaritonis frigidi, ſeminis acetoſæ & coralli rubi præparati an.drach.j. corallini ſcrup. ſemis.ſacchari candi vnci.ſemiſ.camphoræ ſcrup.ſemiſ.liquoris alicuiꝰ acidi quod ſufficit ; fiat mixtio in modũ opiatæ;capiat d.j.per ſe,vel cũ liquore conuenienti ante ſanguinis miſſionem, & alijs temporibus ad libitum.

Mixtio tertia.

Recipe mithridatij.vnci.j.radicis tormentillæ drach.iij.ſeminis acetoſæ & coriandri præparati ana. drach. j. ſemiſ. coralli rubri præparati drach. j. pulueris diamargaritonis frigidi & diarrhodonis Abbatis an.ſcrup.ij.raſuræ eboris ſcrup.ſemiſ. ſacchari candi vnci. ſemiſ. camphoræ grana viij.

cum ſyrupo acido, fiat mixtio in modum opiatæ.

Puluis.

Recip. boli armenæ, coralli rubri præparati, & radicis tormentillæ an. drac. j. ſemiſ. pulueris diamargarito. frigidi & diarrhod. Abbatis an. drach. j. raſuræ eboris, cornu cerui, & coralli rubri præpar. an. ſcrup. ij. coriandri præparati drach. ij. liquiritiæ ſcrup. iiij. pulueris lætitiæ ſcrup. j. ſacchari candi vnci. j. fiat puluis, capiat drac. *j.* cum aliquo liquore ad libitum. vel fiant tabellę ponder. drac. ij. ſufficiēti ſaccharo aqua roſarum diſſoluto; capiat ſingulis mane tabellam vnā per ſe, vel cum liquore aliquo cōuenienti; vt vino, iuſculo, vel oxicrato.

Opiatis autem & pulueribus ſæpi⁹ vſus ſum, quam potibus; quoniam multi ægri potus renuentes medicinæ nomine eos ablegant. Alij poſt hauſtum adhuc potum eiuſdem ſunt opinionis: nam expectant cruciatus pur-

gationis quaſi antimoniatum ſumpſiſſent. Hos nonnulli philoſophantes, licèt Philoſophi nõ ſint obſecundãt, qui ſtupidè omnem culpam mortis horum qui potus hauſerunt medicis attribuunt. Verùm quia populus Toloſanus rationalis eſt, æquè potus cordiales quos alibi cum fructu præſcripſi, exhibui ac opiatas. Quare aliquot eorum exempla ſubijciam.

Potio prima.

Recipe confectionis de hyacintho ſcrup. ij. theriacæ ſcrup. j. aquarum ſcabioſæ nucum & borrag. an. vnci. j. ſemiſ. capiat hora commoda.

Huius conſimili potu curaui primã ægram peſtiferam Figeaci, cui multũ theriacæ exhibere nõ fui auſus; quoniam huius ſoror quamprimùm, iuſſu cuiuſdam Chirurgi Cleiraco hoſpiti familiaris, theriacam aſſumpſit, obijt. Quæ à me ſanata fuit (poſt diuini numinis auxilium) annum credo 28. attigit; ſanguineæ & pituitoſæ comple-

xionis erat: corpulenta ſatis, carnes habens laxas & humidas. Similibus enim propriè conuenit ſudare, vt citiùs à malo vindicentur, niſi febris vrgeat ardens: tempus fuit hybernum; viginti quatuor horis, ter potus repetitus fuit. In puella iſta minutiſsimi apparuere morbilli rubri, dolor ſub axilla dextra, ſine euidenti vllo tumore. Poſt aliquot dies initio, ni fallor, menſis Martij 1628. hoſpes ipſe Cleirac Figeacēſis (huius vt diximus hoſpitium mulionis infauſti Sancti Florenſis interuentu, prima domus fuit peſte conſpurcata) natuſque ſimul decimum agens annum, cum ancilla vna, febre ardentiſſa peſtilenti correpti, me reuocarant. Hoſpiti venā audactèr & intrepidè ſcindere iuſſi, qui propterea, breui cōualuit, ancillā non vidi donec veſpere imminente me accerſiuit Chirurgus alter à primo; qui Medicum cupiens agere vt alter, ipſi ſuam porrexit theriacam;

cominùs accedens, perſpexi quomodò reſupina decumbẽs puella viribus valeret; conniuentibus oculis ſtertere cæpit, fædiſſimam colluuiem per nares deturbans. His ego præuiſis lethalib⁹ ſignis, nihil prorſus huic puellæ exhibui. Sed hoſpitis natum, cui cliſtere & potionem cordialem eodẽ die cum patri ſuppetias attuli, præſcripſi; gradum retrò faciẽs, agoniſantem cum alui ingenti fluore offendi; fluoris cauſam inquirens, relatum mihi fuit, quendam inauſpicatò acceſſiſſe ſpagyricum, ſiue Saturninum, qui blandiloqua pellacia, (hæc enim ſpagyricis proprium eſt, etiam quarto modo, vt aiunt Philoſophi) aſſidẽtium animos ita commulſit, vſquedũ ipſi fas fuiſſet mea abigere remedia, & inſonti tenelloque puello ſuum mortiferum & è ſtygijs delatũ antimonium impertire. Quare puer purgatus eſt completè, id eſt ad mortem vſque. Ancilla eadem nocte, obijt.

Totius familiæ hoſpitis conſeruatio mihi à domino de Lauglanat tunc Protocõſule,& reliquis vrbisMagnatibus,etſi alij doctiſſimi adeſsētMedici,,ſatis proſperè commiſſa fuit:nam ex numeroſa familia, obijt ex ſeruis vnus, cui defectu Chirurgi, & quia mihi tunc nefas fuit ipſum palpare, non licuit venam ſcindere. Præſeruatiua & curatiua quibus ſum vſus propoſui & proponam in huius tractatus progreſſu.

Potio ſecunda.

Recipe aquarum, borraginis, acetoſæ & cichorij an. vnc. j. ſemiſ. boli armeni& diamargaritonis frigidi an. ſcrup. j. confectionis de hyacintho drach. ſemiſ. camphoræ grana. ij. vini guttas aliquot; & loco camphoræ ſi lubet, guttas aliquot ſpiritus vitrioli repones, miſce omnia, fiat potio cardiaca ante ſanguinis miſſionem, & quolibet manè ad libitum haurienda. Huius ſolius po-

tionis vi, multos excandeſcentes bilioſos & ſanguineos, peſtifera labe inquinatos curaui.

Potio tertia.

R. Mithridatij, diatriaſantali, coralli rubri præparati & radicis tormentillæ an. ſcrup. j. corallini ſcrup. ſemiſ. camphoræ grana. ij. aquarum acetoſæ, portulacæ, & roſarum an. vnc. j. ſemiſ. ſyrupi de agreſta vnc. ſemiſ. vini clari guttas aliquot, capiat, vt ſuperiorem. Hac enim potione febricitantes pituitoſos & lumbricibus vexatos ſæpe curauimus, ſicuti & bilioſos ipſos.

Potio quarta.

R. Confectio. de hyacintho, coralli rubri præparati & diamargaritonis frigidi an. ſcrup. j. cornu cerui præparati ſcrup. ſemiſ. cum oxicrato, vel iuſculo alterato herbis refrigerantibus, vel ſupradictis aquis cordialibus cum regimine ſupradicto: id eſt longè à paſtu quoties volueris, vel ante

ſanguinis miſſionem,capiat.

Potio quinta puerorum.

R. Confect. de hyacintho ſcrup. j. ſemiſ. coralli rubri præpar. ſcrup. j. capiat cum aliquo liquore congruo, vt aquis dictis, oxicrato, vel iuſculo.

Potio ſexta.

R. Aquarum acetoſæ & borrag. an. vnc. ij. aquæ ſcorſoneræ vnc. j. ſpiritus vitrioli guttas aliquot, capiat manè & veſperi lõge à paſtu. Inter alios quamplurimos, ſolius huius potionis opportuno vſu, præuia prius cliſteris iniectione in hoc Xenodochio religioſum quẽdam curauimus; Chirurgum etiam vnum aut alterum; his tamen ambobus, quia febrili ardore cruciabantur, hora ſomni hordeati vſum præſcripſi; potus horum ordinarius fuit ptiſana, aliquando, vt longè à paſtu, cum guttis aliquot ſpiritus vitrioli, aliquando, viribus ſcilicèt ſemihauſtis, cum guttis aliquot vini. Ter vni, bis alteri phlebotomia

celebrata fuit. Febrili ardore remiſſo, etſi vterque morbillis quibuſdã etiam nigricantibus infeſtaretur, vtrumque leui purgatione euacuaui.

Potio ſeptima

R. Succi acetoſæ vel oxalidis vnc. ij. aquarum roſarum, & borraginis an. vnc. j. ſemiſ. vini vnc. j. Suaui multumque ſalubri hac potione, inter multos curauimus Pharmacopolam quemdam vigeſimum ſecundũ agentem annum. Sumebat eam bis in die, longè à paſtu.

Potio octaua.

R. Aquæ fontanæ gelidæ quantitatem quam deſideras, ſyrupi violacei vnc. j. ſpiritus vitrioli guttas aliquot, & aliquando guttas aliquot vini, ſi ſtomachus eximiè laborat & patitur. Hic potus verè mirabilis eſt; remittit enim excedentem feruorem, linguæ & gulæ lenit aſperitatem, ſitim compeſcit, vigilias impedit, aluum reddit liberam, & tandem partes omnes

recreat internas, placidum & periucundum ferens refrigerium. Et quod plus eſt pro auaris, non eſt magni valoris, quamvis eximij vigoris.

Pro ſenibus, pituitoſis, melancholicis dum febre non cruciantur.

SI biliosi & ſanguinei ſine febre leuiter infeſtantur, ſola victus congrua ratione ſanantur; Secus accidit ſenibus pituitoſis, & melancholicis: nam hi ſemper viſcoſis quibuſdam recrementis infarcti & referti diutiùs peſtis fomitem conſeruant, & longè difficilius eundẽ propellunt, quam illi: Quare frigidioris temperaturæ hominibus quędam ſolito more pręſcribam; quæ tamen calidiora ſuperioribus vt ſint, eſt neceſſe.

Mixtio.

R. Theriacæ, vel potius mithridatij vnc. j. confectionis alkermes, & confectionis de hyacinto an. drach. iij: corticis citri vnc. ſemiſ. diamargari-

tonis frigidi drach. *j*. ſemiſ. diatriaſantali drach. *ij*. coralli rubri præparati drach. j. angelicæ drach. ſemiſ. pulueris lætitiæ ſcrup. j. camphoræ ſcrup. ſemiſ. ſyrupi de ſucco limonum quantum ſufficit, miſce in modum opiatæ: capiat drach. j.per ſe vel cum vino limphato aliove congruo liquore, quoties res poſtulabit.

Potio.

R. Aquarm ſcabioſæ, cardui benedicti, vlmariæ & acetoſæ an. vnc. j. cõfectionis de hyacintho & mithridatij,vel theriacæ an.drach. ſemiſ.camphoræ grana ij.miſce, fiat potus hauriendus ſemel in die ad libitum, longè à paſtu.

Alia potio.

R. aquarum ſcabioſæ, ſcorſoneræ & acetoſæ an. vnc. j. ſemiſ. cõfectionis alkermes,de hyacintho,& diamargaritonis frigidi an.ſcrup. j. roſatæ nouellæ ſcrup.ſemiſ.camphoræ grana.j. vini parum.miſce,fiat potus haurien-

dus quoties opus erit.

Epithemata omnibus congrua.

Liquidum.

R. aquarum rosarum, acetosæ, & borraginis ac endiuiæ an. vnci. j. semis. vini fragantis vnc. j, diamargaritonis frigidi & & diarrhodonis Abbatis an. dr. j. aceti guttas aliquot, camphorę grana. ij. misce; fiat epithema liquidum cordiale, tepidè admouendum, quoties lubet.

Solidum.

R. confect. de hyacintho & Alkermes an. drach. iij. mithridatij. drach. *j.* diamargaritonis frigidi & diatriasantali an. drach. semis. camphoræ grana vj. conseruæ violarum, florum borraginis & acetosæ an. vnci. semis. rosatæ nouellæ scrup. j. cum guttis aliquot aceti, fiat epithema solidum regioni cordis debitè admouendum. Sepè mutetur; vt cordis regio sæpè queat liquido epithemate ablui.

DE

DE REMEDIIS *pauperum expertis.*

CAPVT XII.

SÆpè mihi admirandi anſam præſtitit nonnullorum incuria, quorum auxilio hacten⁹ nullum fuit propoſitum remediũ expertum & idoneum in pauperum gratiam, qui maximoperè huius luis rabie infeſtantur; vti omni flagitiorũ genere obſeſſi & contaminati præter lycoctonum quoddam ex 20. folijs rutæ, nucibus duabus, totidem caricarum, granoque ſalis concinnatum. Quod Mithridatis Regis antidotum, non pro peſte, ſed veneno adinuentũ fuit: Siquidem omne remedium contra venenum comparatum, peſtis fe-

rocitatem minimè compeſcit:vt mihi clarè compertum fuit Figeaci anno 1627.quo tempore antidotum circulatoris cuiuſdam Spagirici, Oruiatan dicti, ſine vlla fraude, me iubente & præſente,morſum viperæ curauit;peſte verò inchoante aſſumptum, mortem potiùs accelerare, quam vitam prorogare clarè conſpeximus ipſi. Quarè quæ à me hîc aut alibi experta ſunt remedia pro pauperibus, ingenuè ſubſcribam.Aduertant interea arſenicum & argentũ viuum è collo verſus cordis regionem pendentia, prorſus inutilia eſſe; vt quotidiana experientia mille vicibus obſeruauj.

Antidotum pauperum.

Recipe mithridatij.vnc.vj.boli armeni.vnc.ij. camphoræ drach. j. cum liquore aliquo acido, fiat mixtio in modum opiatæ. Si ægri ſint cholerici,ſanguinei, vel febrientes, capiant drach.j.cum oxicrato,vel cum decocto lactucæ, endiuiæ, vel acetoſæ,ſu-

peraddēdo his vini momentū .Senes & pituosi,quique non febre premuntur,capiēt drach.j. cum vino limphato aliquantulùm,vel decocto scabiosæ & acetosæ , vel ipsomet iusculo, quo nutriuntur.

Potio prima.

Oxicratum , quod ex aqua gelida & guttis aliquot aceti componitur, non vulgare remedium est , quod nō solum semel aut bis singulare à me expertum est ; sed singulis ferè diebus mirabilis virtutis remedium esse, licet familiare & domesticum , satis superque frequentissimo eius vsu, comprobaui. Calorem namque febrilem probè remittit, putredinem arcet , venenum ab arce vitali , reliquisque visceribus ad corporis habitum & superficiem protrudit ; sitim extinguit , si aliud vllum , somnum consiliat, mentisque alienationes per os assumptum , exteriusque in modum embrocationis capiti , futuras

coronalem & ſagittalem interim vnguibus perfricando per aliquod tempus, & ſæpè admotum cohibet. Quarè meritò ***arcanum familiare contra peſtem*** nominandum.

Verùm quia acida omnia ſtomacho noxam afferunt, cinamomum ſolum, vel cum gariophyllis aliquot, leuiter conquaſſatum & infuſum aceto tota nocte, vel longiori tempore ad libitum, oxicratum pariet ſtomatichale, cordiale, & cerebrale; acetumque ita paratum, permiſcẽdo ſcilicet cinamomum, infundendo roſas aliquot, ſingulis iuſculis commodiſſimè permiſcebitur. Eodem modo reliqua omnia acida vt vtiliter propinentur, & ſtomacho familiaria reddantur, paranda.

Potio ſecunda
æquè ſalubris ac prima.

Accipe tamarindorum vnc.iij. vel circitèr, cinamomi drach. j. gariophillorum numero x. infundantur

tota nocte, sub dio, viginti libris aquæ optimæ & benè calidæ; vtatur æger in pastu & extra pastum, maximè si sit biliosus, sanguineus, ardentiue febre oppressus: calidis enim ægris naturaliter, siue per accidens liquores acidi plerùmque congruunt. Oxicrati dotes complet hæc potio, insuperque aluum liberam seruat: nam quæ biliosa sunt & ad turgentiam idonea per vrinas vel secessum sine molestia excernit. Huius potus viribus, quosdam malignissimis febribus correptos in Xenodochio Valētino apud Hispanos anno 1622. & Salamāticæ cōsilio Doctisimi Domini Hay, Hiberni, Doctoris & Professoris Medici anno 1621. incolumes & superstites conseruaui.

Potio tertia.

Decoctum hordei & lactucæ cum guttis aliquot aceti, vel cum vini momento, si febris non vrget, mirificè qualibet hora ad libitum assumptum

febrem remittit ardentem, prohibetque putredinis augmentum, venenũque consecutione quadam eneruat.

Quarta potio.

Decoctum lactucæ, endiuię, vel harum ambarum largè sumptum cum pauco vino, vel aceto modo supradicto à nobis parato, nulli cedit potui ad pestis exterminationem: acetosa simili modo parata, valet. Portulacæ similiter decoctum proderit.

Iusculum in quo magna lactucæ (idem dicendũ de reliquis, huius defectu) quantitas ebullierit, tepidè cũ aceto assumptum remedium cum curatiuum, tum præseruatiuum euadit. Vnum namque est ex præseruatiuis quibus æstu vigente, vtor. Hoc enim manè sumpto iusculo, temporis æstuantis iniurias sine magna pæna, facilè fero: nam remisso calore, marcescit pestis.

Succus prędictarum herbarum cũ vini tantillo, valentioribus pestem

vincit effectibus. Sed cautè lactucæ ſuccus propinandus, ne nocumentũ à Galeno 3.*de ſimplic. Medicam. facult. c.*17.& alibi, relatum ſuperueniat.

Remedium, & victus.

R. hordei mũdi quantitatẽ ſufficientem; bulliat ad hordei crepaturã; hordeum deinceps probè piſtetur; poſtea aqua eiuſdem hordei antea ſupernatans, eidem cõquaſſato immiſceatur, coletur totum, vt decet, ſuperinfundendo ſemper guttas aliquot aceti præparati, vel ſucci limonum. Iterum ferueat liquor iſte ad congruam vſque ſpiſſitudinem. Hora ſomni capiat ſcutellam vnam; veluti manè ſi deſiderat, & hoc longè à paſtu. Dum ardor vrget, cum hordeo decoquatur nonnihil lactucæ: nam hordeatum hoc, ita paratum & aſſumptum irruẽtium accidentium, ſiue ſimptomatum impetuoſam cõgeriem & irritamenta perfacilè cohibet, egregièque refrænat.

Figeaci vnum vidimus vno aut altero ſuæ vrinæ hauſtu curatum. Clauigerum itidem Caſtelli de Larocque prope Cadurcum. Recta victus ratione obſeruata, dummodò febrili ardore ingentique putredine non infeſtētur, permulti curationem ſuſcipiunt: febre tamen & putredine moleſtatis prædictorum remediorum vſus impensè profuit, vt in hoc peſtiferorum Xenodochio diu noctuque comprobaui. Cum autem prædicta omnia à nobis ſæpius experta, diametralitèr febri & putredini, à quibus immediatè cuncti peſtiferorum cruciatus emanant, opponantur, ne miretur ſycophantarum vllus, ſi eadem remedia, tempore opportuno, congrua qualitate, iuſta quantitate, debitaque propria manu Medica, præparatione, exhibita & adminiſtrata, etſi vilia ac domeſtica ſint, vim habeant, ſaltim per accidens, exterminandi peſtem. Gal. namque in ardentiſſimis febribus fri-

gidæ aquæ potum præsentaneum iudicat remedium. *Ex c.13. primi ad Glauconem. Hippocrates etiam 3. Epid. Aqua, inquit, edax, vigilia edax*; febrili siquidem calore, quo fere semper pestiferi molestantur, vindicatum corpus, melius quam antea, appetit. Quarĕ iure merito tanti à nobis fit oxicratum, quod aqua sola (quam 1. *de simplici. Medica. facult.* & alibi Galen. asserit tempestiuè exhibitam male stomacho affectos curare) & aceto (cuius dotes ibidem & alibi recitat Gal.) constat: cum diuersis laudibus ipsum & extollat ipsemet *Gal.* 30. prædicti libri: sensus verborum Galeni hic est. *Verùm siti quæ ex composita affectione, videlicet calida & sicca, nascitur, composita medela est oxicratum, quod ex aceto constat tenuium partium, atque refrigerante; & ex aqua quæ non modo refrigerat, sed humidorum etiam omnium est humidissima. Capite etiam* 14. *primi ad Glauconem, rectè indicat de oxicrati viri-*

bus. De ptisanæ encomijs composuit libellum. De reliquorũ a nobis præscriptorum viribus similitèr loquitur idem Gal. rectè ergo & nos ipsorum continuatum vsum vtilem experientia confirmamus.

Rus verò elapsis diebus accersitus, villicum Domini Ouurier, Franciscũ Bartas nominatum conueni. Adolescens hic vigesimum tertium impleuit annum, mediocris staturæ & corpulentiæ; ardentissima febre pestifera inficiebatur, delirabat valdè, bubonẽ in sinistro continebat adene, aluus astricta fuit. Hunc iuuenem sic ipse curaui. Funibus brachia & pedes ligauimus. Scalpello tumorem adhuc innmaturum aperui; deinde recentem lactucam conterere iussi, ex qua compressa succum ad vncias quatuor, vel circiter extraxi; ex succo & vini tantillo, potum hausit coactus. Oxicrato caput, præcipuè suturas, partesque suturis annexas per semihoram laui;

iteraui potum antea exhibitum; ægrique caput panno lineo oxicrato imbuto & intincto, obductum reliqui. Regionem cordis eodem oxicrato (quod pauperum epithema est) laui: iusculum lactuca continuo alterabatur. Obdormiuit leuiter sequenti nocte; sed breui conualuit, absque vllius alterius remedij interuentu, vel subsidio.

Nominent quæso mihi Saturnini, rerum familiarium contemptores; quia desipientes & ignari; rerum dubiarum, longinquarũ, penitùsque ignotarum chimærici contemplatores (si adessent nobis astra, elucerentque eorum secreta; de suis figmentis cum Medicis certare nequaquam auderẽt; sed quia loquaci garrulitate semper instructi, suaui quadam verborum serie hominum animos ad sui amorem pellicere nitũtur) remedium aliquod spagyricum adeò compendiosum & vile ac nostrum, quo tot accidentia

iam relata ſedare valeant. Aſtrologicum fortè nobis aſſignabũt extractũ aliquod, vel ſalem præparatum & cõfectum ex duodecim pullorum phænicis ſtercore aureo, Saturno ſuum perficiente motum. Non hoc ait è Poëtis vnus: nam.

Cauſidicis fas eſt, alienã haurire crumenã;
Militibus, Medicis, tortori occidere fas eſt;
Mẽtiri Aſtrologis, pictoribus, atque Poëtis.

Pro nutricibus.

Nutrices cæteris omnibus rariùs moriuntur; quoniam infantuli lac è mammis aſſiduò exugunt: quo ſemel emulcto, ſubitò venenum exilire per concomitantiam non deſinit: ita tamen excretum, calamitoſo exitio inſontibus puſionibus ſæpiſſimè eſſe conſueuit. Quarè proli non ſecus ac nutricibus proſpiciendum. Victus ratio exactè ſeruanda; Iuſculum enim lactuca, portulaca, borragine, aceto-

ſa, endiuia alterari debet, vt lac tēperatum & idoneum euadat nutrimentum. Alioquin nulla dabitur relatio patris ad filium; ſicuti nec mariti ad vxorem, ſi infantuli lac è mammis exugere deſiſtant. Lacte retento, venenum dolosè cordi proximo (etſi in alijs partium nobilium emunctorijs bubones inſiſtere videantur,) inſidiatur; imò lac ipſum in pus vertitur, inflammantur mammæ, obdureſcunt, phreneſis ſuperuenit, inflãmatur tota pectoralis regio; quibus omnibus mors tandem vitæ iugulum ſuccedit. Omni ergo induſtriâ adhibita cauendum ne lac immulctum infeſtet. Si mortis interuentu, vel ſedula patris cura, ſeiuncti & remoti infantuli lac non exugunt, recentis catuli ſubſidio hauriendum; quo deficiente integra manu integra vbera ſæpius in die cōprimenda; papillâ namque ſola digitis compreſſa, in totam tunc vberum ſpongioſam ſubſtantiam lac retroce-

dit. Zulapia conueniunt frigida, ſanguinis miſſio dum febris vrget:vt cliſter emolliens,ſi pigra premat aluus; refrigerans à nobis ſupra præſcriptus ſi phrenitis,inquietudines,vigiliæ, ſitis; & ardor harum omniũ præcipua cauſa. Confectio de hyacintho, vel aliquid ex noſtris ſupra dictis opiatis dum res poſtulat, exhiberi debet.

Hac via & methodo multæ nutrices in hoc peſtiferorum Xenodochio, in prato, alijſque locis à me curationem ſuſceperunt.

Pro Prægnantibus.

Mulieres vtero gerentes ſi peſte vexentur, rarò curationem ſuſcipiũt; quoniam tenella puerorum corpora ſubtiliſſimi hui⁹ veneni citiſſimo motu, peruia & idonea ad inquinamenti ſuſceptionem conſtituta ſunt. Fætus poſteaquam à natura arctiſſimè complectitur,donec eximiè defædatus,ad ipſius excluſionem citiſſimè ſtimulatur. Quarè contractum & impreſſum

in vtero vi fætus labefactati inquinamentum, & copiosas lochiorum post aborsum excretiones molestissimè suffert natura. Fætus præterea, non leuem respirandi difficultatem inducit. Etsi tamen post aborsum respiratio liberior reddatur, non idcirco, nisi rarò, incolumes euadunt fæminæ, ob rationes à nobis prælatas.

Remedia numerosa ne sint: sola autem inter reliqua conducit confectio de hyacintho, cum ijs quæ vim habent sedandi putredinem & refrigerandi præterea nimium excandescentia corpora; qualia sunt multa à nobis cõmemorata. Scissa vena nihil fit: quare supersedendum. Duiretica nulla propinanda; aliter abortus accelerabitur. Præstantius grauidarum remedium præseruatiuum, est à comitijs abstinentia.

Remedia omnibus communia.

Cuilibet ætati, sexui, temperamento, tempori, & regioni vnicè

conducit cõfectio de hyacintho; quoniam temperatum & vigorans remedium. Hoc modo præparatum prǽsentaneum mihi ipſi, & bonæ notæ viris præſeruatiuũ fuit & curatiuum. Accipe vitellũ vnum oui, cochleare vnum vel alterum aceti præparati, modo à nobis præſcripto, ſi fieri poteſt, confectionis de hyacintho drac. j. vel drach. vnam ſemiſ., ad libitum: his perfectè in ſcutella mixtis paulatim quatuor vel quinque iuſculi alicuius idonei vncias ſuperinfundes; Sume poſtea tanquam ſucculentum medicamen & victũ, præſeruatiuum & curatiuum ſingulare.

Eodem modo exhibitæ opiatǽ noſtræ ſupra præſcriptæ, temperatæ & ſalubres euadent. Inter ſimplicia, pimpinella & tormentillæ radix primas occupant ſedes. Sequens aqua magiſtralis à me compoſita frigidis temperaturis cum vini momento ſecurè exhibetur: ſola verò calidis.

R. Acetosæ manip. vj. borraginis & scabiosæ an. manip. ij. endiuiæ, cichorij, pimpinellæ cum toto, portulacæ (huius penuria aliquid eius aquæ, huic distillatæ miscebitur) an. manip. j. semis. radicum tormentillę, imperatoriæ & scorsoneræ an. vnc. ij. angelicæ vnc. j. florum violarum, borraginis & rosarum an. vnc. j. semis. vel vnc. ij. cinamomi vnc. semis. anisi drach. ij gariophyllos aliquot. Omnibus minutim scissis & contusis, eorum fiat maceratio viginti quatuor horis in sufficienti quantitate aceti albi, vel clari rosacei. Distillentur omnia per alembicum vitreum lento igne, vt decet.

Huius aquæ mirabiles dotes superiori anno, apud Figeacenses, satis superque, vigente æstu, comprobaui; ardentes verò febres mirificè remittit, putredinem arcet, venenum domat, idque sine labore & molestia ad habitum corporis propellit, vel per

vrinarios reijcit meatus, ſitim ſedat, alioſque affectus pęſtem conſequentes. Has dotes non renuet laniator Coudet Figeacenſis, homo carnoſus & valdè plethoricus, quatuor anthracibus excandeſcentibus, & bubone cum ardenti febre, ſiti, vigilijs, & inquietudine non alio tempore ab ipſomet æſtatis & peſtis vigore moleſtatus; qui cum huius ſolius noſtrę aquæ magiſtralis diu noctuq; lauta ſumpſiſſet pocula, breui conualuit: huncque noſtratem liquorem (mirabilem) decantabat. Doſis præſcribenda ad libitum. Ne vomitu reijciatur aſſumpta, drachm. vna, vel circiter, coralli rubri præparati in ea diſſoluatur.

Ego ipſe ob crebras viſitationes dum æſtu, ingentique premerer laſſitudine, longè à paſtu iam cum vini momento, iam ſine, tanquam præſentaneum præſeruatiuum aſſumere ſolebam. Dulce ſolamen cunctis

corporis partibus, easdem corroborando & refrigerando, præstat. Si huius & prædictorum remediorum, aliorumq; non scriptorum vires expertas subijcerem, non libellus, sed vastum volumen cōponendum esset. Prædictorum remediorum vtpotè facillimorum sit frequens & debitus vsus; liberalior tamen curando quam præseruando. Acetum excipe.

DE BVBONE.

Capvt XIII.

PRIMVM & magis pathognomonicum pestis simptoma, *bubo* nominari cōsueuit. Vt plurimum autem antequam *bubo* erumpit, pestis perfecta cognitio minimè elucescit. Bubones alijs in locis, vt sura,

brachio, collo, mandibulo inferiori, à partium principium emunctorijs, quotidiè erumpunt. Experientia hoc ſatis compertum habeo, mihique patrocinatur Guido, qui non ſolum bubonem pro ſolo axillæ tumore, vt in prima ſignificatione ſumitur, accipit; Nec pro omnium partiũ principum inflatis emunctorijs, vt in ſecunda ſignificatione; Sed pro mammarum & teſticulorum partium ſpongioſarum tumore. Quare mirari non deſino cæcutiẽtem Labadie Chirurgum, nimis remotè à ſuo Guidone recedentem; dum phantaſticas eorum vocat opiniones, qui bubonem alijs in locis à partium principum emunctorijs ſupercreſcere autumant. Præcipua huius viri ratio eſt; quia, inquit, nullus qui peſtem tractauit de alio quã de emunctoriorum bubone ſermonem fecit. Hallucinatus Labadie non legit Guidonem, dum de Auenionenſi, imò vniuerſi orbis peſte lo-

quitur. Benedictus etiam Textor Medicus non solum pestem tractauit, sed peste oblęsus ipse nobiscũ clarè sentit, aljis in partibus ab emunctorijs bubones oriri. Bubo, pestis à nonnullis dicitur; Sed hoc accidit ideò, quia sensibile pro eo quod à sensibus remotum est sępè accipitur: vt intensè calidum pro *igne* cuius substantia sensus latet omnes; sic similiter bubo pro *peste* cuius essentia sensibus abdita, intellectu percipitur solo. Instar omnium sint nobis R. P. Dauid de Gimont sacræ Capucinorum familiæ Religiosus, & pestiferorum apud Figeacenses Confessor. Nobilisque Dñs de Flogeac prope Cadurcũ, qui ambo brachij vexabantur bubone. Sicuti & R.P. Philippus de Frãcon eiusdem sacri cœtus Religiosus & pestiferorum apud Tolosates Cõfessor, qui similiter brachij tumore imo & inflammatione cum ardenti febre cruciatus, à me accesito sangui-

nis missione iterata, sulapijs refrigerantibus, & cataplasmatibus resoluentibus & per brachij causticum euacuantibus materiam molestãtem, breui sanatus fuit.

Bubo est tumor præter naturam in partium principum emunctorijs frequẽtius enascens ab humore crasso & viscido, satisque maligno, aliquãdo cum inflammatione, aliquando sine, provt magis aut minus sanguis vel bilis in corpore prædominatur. Hoc pestis accidens statim apparet dum naturæ dominio quæ in corpore sunt reguntur. Obsessa namque natura immani & exacerbata virulẽtæ luis sæuitia, à principibus partibus noxam inflictam per euidentes tubulos ad susceptacula excremẽtis dicata superfluis, protrudere absque vlla cunctatione, conatur. Bifurca siquidem ima vena caua, diuersis ramis vtriusque inguinis glandulas attingit: quò fit vt si quidpiam hępar par-

tem principem obsideat, irritetque naturales facultates, quamprimùm natiuo quodam percita impulsu facultas expultrix, veluti arcis obsessę propugnatrix, foras ad sentinam partis affectę propellat; tuncque tumor enascitur *bubo* communiter dictus, tam in inguinibus, quâm aliquando in suris, vt aliâs annotaui in sorore cuiusdam *Morte-paye* Figeacensis vespilli.

Duobus modis prędicta excretio vi facultatis expultricis inchoata, fit. Primò criticè; quæ facilè sic fieri dignoscitur detegiturve, dum vexata tantillum natura, citò infarctum infestatumque hepar verbi gratia, laudato, fælicique progressu, recludit & exonerat; tumorque assiduum suscipit incrementum, nullo prorsus imminente vitæ discrimine: quia tunc nullis molestatur æger sæuis simptomatibus. Secundo simptomaticè, dum ærumnosa natura diris agitata

diuerticulis, noxam nisi parcè & diminutè, exerere nequit. Multa insæuiunt simptomata, tumor non nisi valdè lentè succrescit.

Eodem (proportione seruata) modo bubone sub alis, ponè aures, collo, brachijs, alijsque in locis, prominentes elucescunt.

Bubones liuidi, & qui sub axilla sinistra continentur, periculosissimi: hi quia cordi valde vicini; illi quia calorem natiuum extingui redarguunt. Qui statim retrocedũt, inquinamentum per totam massam sanguinariam reaspergi significant. Dum nihil puris à bubone aperto excernitur, malum; quoniam aliò materia purulenta & venenosa reuocatur. Vnde genarum inflammatio, phrenesis, & tandem mors.

In curatione bubonis penitùs à generali curatione tumorum, qua repellẽtibus in principio & incremento vti nos debere commendatur, deviandum

uiandum: Hîc quoniam oculatè prospiciendum, vt omni sollicitudine à centro & corporis caudice ad extremas partes, ne statim venenum partes principes labefaciendo enecet, humor venenosus ceu tumoris causa extrorsum alliciatur; quod facilè cõpletur dum solers sagaxque natura natiuo robore dotata persistit. Tunc enim venenum sine vllo labore domat, forasque protrudit, speciatim nullo obsistente propugnaculo. Frigus autem, somnus, remediaque introrsum humores repellentia, bubonis incrementum, etsi natura vigescat compescunt. Ob hoc, insipientèr & sine arte nonnulli quotidianam emũctoriorum cum forti aceto, lotionem consulunt: quoniam quod solers natura tanquam noxam procul ad sentinas excrementis dicatas, protrudere conata fuit; omni sua solertia frustrata in eiusdem caueas & arces, maiori quam antea impetu, relabitur.

· Remedia ſupraſcripta pro peſte, inchoante bubone,anthrace,morbillis,& ſimilibus hac ſemper obſeruata lege, exhibenda. Pro vrgentia ſimptomatum remediorum vſus accumulabitur; vt ſi quiſpiam non ſolum bubone,ſed carbonibus infeſtaretur,copioſius ſanguis hauriendus quam ſi ſolus infeſtaret bubo; Et adhuc multo copioſiùs ſi phreneſis ſuperuenerit. Quoniam anthraces, & delirium ingenti(in hoc caſu) perennique feruori ſanguinis ſuccedunt; vnde perpetua excandeſcentia, perpetique cruciatu,ardens & inextinguibilis aliquando febris humani corporis vires exiguo temporis interuallo, depaſcitur, & eneruat. Quarè non ſolum in morbi principio & augmento liberaliori manu aſſumenda remedia cum alterantia, tum alexiteria, nec phlebotomia celebranda, ſed quoties res palàm exiget, etiam in ipſomet tumorum vigore: Quicquid enim dicat

Hollerius, qui apparentibus tumoribus, à ſanguinis miſſione abſtinendũ iudicat; experientia, imò & ipſamet ratio:(nam vrgentiori ſuccurrendum altero nõ neglecto) mihi omninò patrocinãtur. Laniatori ſiquidem Coudet alijſque quàmplurimis, tumoribus ad perfectam ſuppurationem declinantibus, fæliciter ſanguinem, etiã ad libram vnã, haurire iuſſimus; multò ergo liberaliùs ijs quibus ſimptomaticè intumeſcunt glandulæ, numeruſque carbonum & morbillorum multiplicatur. Quibus enim ſimptomaticè & cum moleſtia prædicta erũpunt ſimptomata, venenoſus humor fluens, antecedens tumorum cauſa, copioſus ineſſe, proditur. Quarè etſi tumores cum moleſtia appareãt, ſanguinis miſſione, cliſteriumque blando ſubſidio humor fluens in hoc caſu abundans diminuendus, eiuſque ferocitas alterantibus alexiterijs ſtrenuè dimicanda; vt ſubtracto, ex parte

veneno, natura ſubleuata criticè & maturo cum iudicio quod moleſti humoris ſuperſtes inſiſtit, ad corporis ſentinas prorſus protrudat.

Poſt vniuerſalium remediorum vſum ad particularia deueniendum; inter quæ præcipuum obtinet locum deriuatio, quæ non ſolum ſanguinis miſsione completur, ſed cucurbitulis & veſicatorijs. Bubone itaque pone aures, in collo, ſub mento (idem de carbunculis harum partium dicendũ) & in ipſo vultu, infeſtante; cucurbitulæ cum ſcarificatione bis, ter, quaterue, ſi res vrget, admouendæ; aliquando ceruici carnoſæ vſque ad ſuperiores vertebras ſimilitèr admouendæ; ſicuti & veſicatoria quæ mirificè proderunt, ijſdem partibus applicata. Bubonib' etiam axillarum, ita admota ſpatulis auxilio erunt: ſed, niſi vt deorſum ad inguina attrahatur humor, nõ tam ſæpè bubonibus inguinum congruunt deriuantia calida; quia nimiũ

calorem, & aliquando gangrænam inducunt.

Cauendum ne ſuper omnia ſimul emunctoria partium principum, maximè dum nullus adeſt tumoris apparentia, nec propè admoueantur veſicatoria; quoniã à vena caua & aorta ad emunctoria magni protenduntur ſurculi, quibus intensè calefactis, calfit & aorta ac vena caua; ſæpiſſiméque intenſiſſimam febrem ſtatim ſequitur mors; vt cuidam ſacræ Capucinorum familiæ ſuperiori anno Cadurci contigit; qui, conſilio cuiuſdam, pro præſentaneo præſeruatiuo omnibus emunctorijs veſicatoria applicuit, quæ fuere cauſæ, cur citiùs in peſtilentem febrem ardentem lapſus quam par eſſet, moreretur?

Secundus ſcopus in bubone eſt materiam contentam euacuare: poſtquam autem materia fluens ſeu cauſa antecedens recta victus ratione, & ſupradictis vincitur remedijs, materia

quæ in parte eſt,quæque parti adhæſura eſt euacuanda,& foras attrahenda. Si criticè erũpat tumor, itaut nulla adſint quæ ſæuirent ſimptomata, ſuppurãtibus & leuitèr attrahẽtibus, quæ calida ferè ſemper ſunt, vtimur.

Si ſimptomaticè ſæuit bubo, itaut adhuc vexent alia ſimptomata,& vix incrementum ſuſcipiat,tunc non ſolum mediocribus attractiuis vtẽdum, ſed ad valentiora deueniendum.Quare cucurbitulæ ſæpè admoueantur tumori ; propè tumorem veſicatoria admota plurimum attrahunt ſeroſitatis.

Inter localia remedia diachilon cũ gummis ad attrahẽdum digerẽdum, emolliendum,& maturandum : optimum , dum chriſtianè componitur, cenſendum eſt : modo namque quo prius à Medicis præſcriptum eſt, omnes curandi bubonem ſcopos facilè complet: at verò quia ſæpiſſimè,tempore peſtis vt plurimum (nam tunc

multi lucri ſolum gratia, virtutis & ſcientiæ minimè laborant)prędictum diachilon ex cera & terebentina maiori ex parte, ſeorſim relictis muccaginibus & gummis, veluti & ſemper ſucco ſcillæ, vt ingenuè mihi retulit ex pharmacopolis vnus, componitur, non ſemper ſcopos à nobis propoſitos complet. Quare alia à nobis experta proponemus emplaſtra & cataplaſmata, donec Medicorum cenſuræ (tempore peſtis præcipuè) non ſecus ac theriacæ compoſitio, diachilonis ſubijcietur.

Diachilon commune ſiue album, ſiue ſimplex, addendo cuilibet libræ vnc. j. oeſipi humidæ, optimum eſt & expertum, compendioſa præterea eſt ipſius compoſitio. Sequens valet.

Recip. gummi ammoniaci, galbani, bdelli, opopanacis ana. libra. j. cum oleo camomillæ & liliorum, & pauca cera fiat emplaſtrũ. Sequens profuit. R. terebentinæ, picis, ceræ, ſebi com-

munis,reſinæ & olei an.partes æquales, bulliant omnia in modum cataplaſmatis.

Aliud.

R. radicis liliorum & althææ an.lib.*j.* maluæ,biſmaluæ,parietariæ,acetoſæ, branchæ vrſinæ an. manip. j. ficuum pinguium paria v*j*.decoctis omnibus, cõtuſis & cribratis; Adde farinæ hordei,fænugræci & ſeminis lini an.vnc. *j*.ſemiſ.farinæ orobi vnc.j.olei liliorũ & camomillæ an.vnc.j.axungiæ ſuillæ vnc.ſem.croci dr.*j*. baſiliconis vnc. ij. miſce omnia ſecundũ artem in modũ cataplaſmatis.Theriacam enim,oleũ ſcorpionum, & ſimilia calida, ſicuti cæpam cum theriaca prædicto cataplaſmati ſæpè permiſcui; non tamen cum omni fructu quem multi his calidis alexiterijs attribuunt;licet cataplaſma per ſe optimum ſit, & expertum abſque theriaca.

Pro pauperibus.

R. Radicis liliorum libra. j.malua-

rum, manip. j. ſub cineribus decoquantur, & inuoluantur interea folijs caulium vel oxilapati; contuſis poſtea miſce aliquid axungiæ, & vitellum oui fiat cataplaſma.

Aliud pro ÿſdem.

R. Acetoſæ quantum lubet, eodem modo ac ſupradicta reconde ſub cineribus; contuſæ leuiter herbæ adde adipis vel axungię parum. Admoueatur calidè tumori.

Aliud.

Farina, oleum & aqua in modum pultis parata, addendo ſub finem aliquid axungiæ gallinæ ſi inueniri poterit, proderunt.

Sæpius expertum cataplaſma.

R. Radicis liliorum & althææ an. vnc. ij. radicis conſolidæ maioris vel ſaltim mediæ vnc. iij. acetoſæ & branchæ vrſinæ ana m. j. baſiliconis, vel huius penuria picis, quantum lubet: fiat cataplaſma vt decet probè decoquendo & contundendo prædicta

quæ cataplaſma componunt, dein addendo baſiliconem vel picem.

Ex ſola malua ſub cineribus coćta poſteaque contuſa, cum axungia porci, cataplaſma non ſpernendum conficitur. Ex ſola etiam brancha vrſina ſimili modo præparata. Ex ſola præterea liliorum radice, parili modo cum axungia parata. Cæpa etiam cum axungia, farina, & oui vitello, ſæpè profuit ruſticis.

Sequens eſt optimum quod à me prius in Hiſpaniarũ Regis curia dum cũ Magnanimo meo Hugone Magno Odonello Tirconalliæ Principe commorarer, pro venereo bubone expertum fuit. Ex Madritenſibus nonnulli, qui cum promptè à quibuſdam Chirurgis curationem non ſuſciperent, ad me accedentes, citò & proſperè ſequenti cataplaſmate incolumes euaſere.

℞. Fermenti ſatis acris vnc.iiij. adipis gallinæ vnc.ij. vel vnc. iij. ad libitum:

croci in puluerem redacti drach. j. vel ſcrup. ij. ſi adſit inflãmatio, miſce omnia vt decet, fiat cataplaſma tepidè buboni admouendum. Non ſolum autem concoquit, attrahit, emollit, ſed vomicam ſæpiſſimè, ſine ferro aut igne reſerat.

Si optas vt ſupradicta remedia fortiùs attrahant, præcipuè dum à natura ſegnitèr humor ad tumorẽ protruditur, ex ſequẽtibus aliqua in parua tamen quantitate, prædictis cataplaſmatibus addes. Stercus columbinum, calx viua, fermentum, euphorbiũ, eſula, ruta, theriaca, oleum ſcorpionum, iris florentina, calchantum, ſal armoniacus, &c. Verùm cautè his vtendum, ne febrem excitent ardentem, & inflammationem in parte affecta, quam ſæpe ſequitur gangræna. Horum ego locũ ſupplens cucurbitulis ſine ſcarificatione per interualla vtor: nam quorũ bubones in peſtis huius primordio ſcarificati

ſunt, vitam cum morte commutarãt: Nimium namq; irritatur natura, dolorque inductus vi ſcarificationis, non leuem impertit naturæ noxam.

Aliquando proſperè bubonem curaui inguinis, applicandò duobus digitis ſub bubone, veſicatoria; his poſtea ſublatis obducitur pars excoriata copioſo baſilicone; & hoc cum aſſiduitate fiet: nam ſic ſæpè ſuppurata pars tumoris venenum attrahit, & euacuat. Sic enim fidiſſimum ipſe, ſine Chirurgi auxilio curaui amicum.

Quod frequentiùs tamen fieri debet eſt, quamprimum eluceſcit bubo, poſt cucurbitularum applicationem, digito vno ſub tumore, cauſticum potentiale, quod ſaluberrimum remedium eſt, admouere: nam procraſtinando aperturam æger ſæpiſſimè moritur. In exenteratis enim & diſſectis à nobis corporibus ad amuſſim annotauimus, emunctoriorum aliquando glandulas naturalem nequa-

quam excedere magnitudinem : Nihilominus tamen atrocissimis cruciabantur ægri doloribus, licèt post horum obitum nihil extranei in glādulis fixum vel impactum apparuerit: doloris verùm assiduò ægrum contorquētis causam, non longe à glandula latentem offendimus : corpus enim quoddam staminosum, & veluti ex telis diuersis compositum, & spongiosum, liquorem emittebat serosum, flauum, prorsusque pestiferum : sub finē ex eo digitis compresso, viscosam quandam & veluti oleosam substantiam emunximus. Tunc apparente & inchoante dolore, & bubone, si apertus fuisset locus pestiferæ substantiæ vicinus, non tam exitialem attigissent exitum, qui mortui sunt: quoniam maiori ex parte curati sunt, qui opportunè huius methodi suppetijs auxiliati sunt; venenū enim paulatim euacuatur; imò & parte suppurata, affatìm.

Cadurci ſuperiori anno à Damiſella quadam Dablan accerſitus, eandem maxima febre ardenti peſtilentiali cruciatam comperi. Conſopita decubuit; glandula axillæ ſiniſtræ dolore prægrandi vexabatur, non dum tamen tumuit. Poſt internorum remediorum debitam exhibitionem, ſanguis poſteaquam exhauſtus fuit: non propterea multum ſuſcepit ſolatij. Quare honeſti cuiuſdam & experti Chirurgi Lacoſte dicti, & meo conſilio digito vno ſub tumore inchoante, admotum fuit cauſticum potentiale, vi cuius Damiſella antea defatigata, breui temporis interuallo ſana præclarè inceſſit.

Par commodum contigit Flogeaci prope Cadurcum, dum nepotes Domini dicti loci curaueram. Vnus enim ex ſeruis Domini de Flogeac eodem ferè modo ac prædicta Damiſella peſte vexabatur: parti ſanæ ſub tumore cauſticum potentiale admoui, dua-

bus horis elapsis, causticum reuisi: schara scalpello pri⁹ perforata vulneri inflicto tentam basilicone obductam indidi: postea vulnus inflictum & tumorē emplastro diachilone cooperui. Postridiè dum ipsum inuiserem tentam cum emplastro abigens, pus album, læue, & æquale, ex vlcere dimanare perspexi: Propterea autē solo oxicrati vsu, & huius prōptæ aperturę subsidio paucis diebus transactis sanus euasit rusticus ille.

Simili casu hîc Tolosæ contingente in puella quadam quinque vel sex annorum (filia Chirurgi cuiusdam Catalan dicti, fuit) præscriptis prius internis remedijs, & victu, causticum potentiale paulo sub tumore prægrandi & axillari, nimiumque, quia vigoris eius tempore ascitus fui, premente vires, applicare iussi: facta apertura vt in reliquis, puella, cuius mortem antea mæsta mater expectabat, peregregiè sanata fuit: quo-

niam breui tempore pars affecta vulnere, ſuppurata fuit.

Prædictam meam methodum ratiocinij & diſcurſus iuuamine comperi. Siquidem nullus inter Medicos doctos (hos autem ſolos in omne ęuum vt meos magiſtros veneror;nec contra hos me quidpiam hactenus dixiſſe ſentio, nec vnquam dicturum ſpondeo, ſolos autem qui à Medica modeſtia ingenti garrulitate & imperitia longè recedunt,omni reprehenſione dignos eſſe iudico)ibit inficias, ſi dicam multo celeriùs partem temperatam & ſanam recenti vulnere affectam, ſuppurari, quam partem intemperatam & longè à naturali ſtatu recedentem: quoniam partes ita intemperatæ ſæpe in gangrænam vel ſchirrum finiũtur;nec ad ſuppurationem vnquam deueniunt vſquedum ipſis natiua reſtituatur temperies. Ergò ad hoc vt citò pars affecta materiam moleſtãtem prorſus auellen-

do, eradicandoque curationem celeriter ſuſcipiat, ſatius erit parti ſanæ & temperatæ cõtinuæ parti tumenti & affectæ, cauſticum potentiale admouere, quam parti ægræ potentiale vel actuale: nam in parte ſana ſuppuratio vno vel altero die fit, dummodo enthema probè indatur, emplaſtrum vel cataplaſma extẽdatur. Facta ſuppuratione venenum vicino tumore latitans per hians vlcus ſubitò euacuabitur; nec vlterius ſurſum capeſſet ad phreneſim, aliumve cephalicum affectum generãdum; nec arcem demum vitalem cor multùm ampliùs infeſtabit. Quæ tamen accidentia indies adueniunt ijs quorum bubones alitèr pertractantur: opportuno tempore etiamſi aperiantur, alio tamen modo à nobis prædicto. Adde quod quamuis in tumore iam manifeſtato fiat apertura; multoties nulla generatur materia purulenta, quæ ſalubre ſignum eſſet, vſque ad aliquot dierũ

numerum: aliquãdo vſque ad mortẽ; interimque ſchirroſus redactus tumor, difficilè ſanatur, totiuſque vitæ curriculo nonnulli ſic affecti aliquid patiuntur detrimenti: nam præterquã quod tumoris curatio indies prorogatur, glandula à ſolerti natura conſtituta tanquam excremẽtorum partium nobilium ſentina & receptaculum, dum dureſcit excrementa aliò recurrunt, amplius impotentia ſedem debitam recolere, vnde affatim turgentiam concitant, & recidiuas pariunt ægritudines. Ergò iuxta tumorem & non ſuprà cauſticum potentiale paruam faciens aperturam (ſic enim citius tumores ad ſuppurationem accelerantur) admouendum. Potentiale actuali præſtat in hoc caſu; quia in parte ſana non ita fodiendum vt in ægra multum tumẽte: ſicuti nec in paruo & demiſſo tumore æque ac in magno. Actuale igitur prȩualet tãtum dum tumor magnus vel ſuppu-

ratus apparet, & non alitèr.

Cæterùm aliquod ex dictis emplastris vel cataplasmatibus semper tumori admouendum, donec demisso tumore eius duritiei mollities succedet. Illecta vi remediorum materia virulenta extrorsum, vlcus abstergendum, licet vnius emplastri vel cataplasmatis auxilio sæpissimè curentur bubones. Verum vt sim completus, omnia remedia vlceri necessaria subscribam, non solum vt buboni auxilio sint, sed carboni, de quo sequenti capite.

Abstergens optimum & familiare.

R. vini absinthiaci (si desit vino infundatur aliquid absinthij) quod sufficit, lauetur vlcus bis, ter, quater in die ad libitum: Parti autem robur addit, putredinemque eximiam optimè coërcet. Ante equidem pestis accessum, gangrænosa quædam vlcera huius solius vini adminiculo probè curaui.

Aliud ſatis benignum.

R. Mellis roſacei quantum lubet(aut mel purum ſi pauperibus deſit roſaceum) vitellos aliquot ouorum farinæ hordei vel fabarum quantum ſufficiet ad cataplaſmatis conſiſtentiam; miſce omnia ſpatula vel bacillo ea parumper lẽto igne calefaciendo: vlceri apponatur vt decet.

Mel roſaceum benignum adhuc remedium abſtergens eſt. Quartum eſt vnguentum de apio, mundificatiuum communitèr dictum.

Vnguentum aureum ſuppurat & detergit, ſicuti baſilicon magnum, fortiùs adhuc Apoſtolorum; Fortiſſimè omnium Ægyptiacum, quo parcè vti debemus dum gangræna vel putredo eximia tumorem vexat, glandulãque integram corrumpit. Tunc autem immiſceo ego parum baſiliconis, & aquam plantaginis vel aluminoſam in ſufficienti quantitate. Sic enim rectè corrigitur eius acrimo-

nia, & benignum renouatur.

Caro prædictorum remediorum ſolo vſu regeneratur; vniuerſa verò ſpurcitia vlceris exterminata caro facile concreſcit: Poteris tamen dum prædicta non ſufficiunt, parum gummi ſarcocollę debito modo vlceri admouere. Vel, ſi mauis, parum thuris, aloës, mirrhæ, & ſimilium. Emplaſtrum de betonica proderit, ſicuti & diapalma. Cicatrix vnguento pompholigos, & albo inducetur. Aqua aluminoſa, aqua etiam plantaginis idem munus complent.

Antequam ad tuguria aliave loca quadragenarijs dicata qui conualeſcunt, adeant, ſequentia ſedulo conſideranda.

Primò enim tumoris ſchirroſitas perpendēda, quæ ſæpiſſime prouenit, dum non exactè vlcus indies excrementis repurgatur, id digitis aliquantulum comprimendo, vſquedum tota materia purulenta euellatur: nam

minimo eius derelicto residuo, desiccatur indurescitque pars affecta schirri consuetudine. Qui defectus ob Chirurgi etiam experti incuriam aliquando contingit, seu potiùs, quod sæpiùs in hoc casu contingit, inducitur tanta durities ob nouitiorum quorūdam in re Chirurgica desidiam, qui desidiosè & cum fastidio vlcus attingunt, aut nullo modo manum operi prorsus porrigūt, sed ægrorum dispendio in horum sinum emplastrà proijciunt; vel famulis in emplastrorum applicatione facilè fidunt. Quare ne hoc accidat cauendum; alioquin periculum erit recidendi, vt quotidiè videmus.

Secundò vtrum ęgri qui conualescunt, puro sint præditi corpore, an verò impuro & cacochimo? Si puro pauco temporis interuallo per vlcus omne venenum & inquinamentum protruditur & euacuatur: neque iterum tam facilè in morbum reincidet.

Si impuro, longo tempore, vt duobus mensibus fluat vlcus, maximè si vnico tantum corpus infestatur, tuncque cacochimia purgatione minuenda conuenienti; licet non statim in initio, sed dum iudicamus effrene venenũ per vlcus maiori ex parte euacuatum: nam si quod naturæ stimulo ad partium principum emunctoria protruditur, forasque per vlcus eijcitur, retro trans totam massam sanguinariam, & hepatis corpus, ad venam portæ vi attractrice medicamẽti reuocetur, nouo quodam veluti inquinamento totum corpus conspurcabitur: nam cum sanguis sit corporis nutrimentum, si hic sit impurus, impurum & esto corpus. Adde quod per aortam & venam cauã de nouo excalefactas fulginosum & venenosum excrementum cordi commmunicatur.

Tertiò an ęger carbunculo, an bubone vel bubonibus molestatus fuit?

Nam si sit bubo qui infestabat, securiùs & citiùs venenum per ampla vasa partibus principibus inserta euacuatur, quam per anthraces, qui nullum cum partibus principibus tale possident commercium. Ideóque non citò cicatrisandi sunt, sed potiùs supercrescens caro alumine depriménda, donec completè materia venenosa foras protrudetur. Verum si multi anthraces molestãt, siue plures bubones, citiùs æger curatur quam alitèr: quoniam multæ tunc viæ veneno excunti patent; quod debet à sanitatis Chirurgo sedulò animaduerti, antequam vlcera cicatrisari sinat.

Quartò videndum an æger conualescens sit macer, an pinguis. Si macer (nisi saburrata quædam præter consuetudinem, humorum colluuies impedimento sit) & biliosus, breuiori tempore quam qui pinguis est, curationem suscipit: quoniam pingues & qui humidioris sunt temperamenti

peramenti, viſcidis quibuſdam humoribus continuò ferè referti ſunt; quos humores vt exerere valeamus, & vt omnes corporis anfractus extirpentur, longo tempore vlcus apertum remanere neceſſum eſt.

His obſeruatis exactè legibus, perpaucos aut nullos apud Figeacenſes, Cadurcenſes, & alios aliorum locorum incolas iterum peſtifera labe referitos vidimus. Quod alitèr his in partibus accidere clarè quotidiè cõſpicimus: nam qui ſeligunt ſanos ab ægris nullum aliud ſanitatis indicium perquirunt Chirurgiæ prorſus immemores prętter vlceris cicatriſationem; cũ ſub cicatrice lateat adhuc materia purulenta vel tumor ſchirrus dictus: ideòque tales quadragenarij Xenodochium vel pratum quotidiè repetunt.

DE CARBVNCVLO.

CAPVT XIV.

SECVNDVM & præcipuum peſtis ſimptoma, carbo ſiue carbũculus ita dictus, quia extincti carbonis ſimilitudinem refert: carbunculus quia lapidis pretioſi ita nominati pelluciditatem præ ſe fert, dicitur. Pruna, clauus, etiam vocatur, quia vt pruna ardens vrit,& dolorem ſimilem dolori claui fixi generat.

Carbunculus eſt tumor phlegmonoſus à ſanguine craſſo, aduſto, ferueteque promanans, cum dolore ingenti, rubore ſubobſcuro, duritie, & ardore, qui ſcharam cum veſicula producit.

Carbones ſi magno adſint numero lethales, maximè verò dum ad vigorem perueniunt, & in anthraces de-

ſinunt. Vidi enim quoſdam carbonibus veluti veſtitos qui breui tempore ſtrangulati ceciderunt. Alios vidimus qui duodecim carbonibus afflicti euaſerunt incolumes. Verum carbones ex ſua natura peſſimi; quia maiori ex parte neruoſas partes & magis ſenſibiles, præcipuè iuncturas vbi multi terminantur tendones, obſidere ambiunt; Tum quia in omni carbunculo circũpoſita caro ad ſummam peruenit inflammationem; acutiſſimam concitant febrem; In maximum diſcrimen, vitam nobis chariſſimam attrahunt; Dulce rurſus naturæ pabulum *ſanguinem*, in ineptum prorſus & efferum conuertunt, vt dilucidè apparet ex ampullis à feruido ſanguine ſuper ſcharam inductis, non ſecùs ac ſi ab ipſomet igne pars affecta combureretur.

Quia ſæpenumerò carbo, maximè dum in anthracem (anthrax enim eſt ipſemet carbo in ſuo ſtatu ſeu

vigore) degenerat, in gangrænam desinit, ideo citò curationi incumbendum.

Duo sunt scopi curatiui carbonis. Primus est, ingentem sanguinis non solũ partis affectæ, sed totius corporis feruorem compescere. Cum igitur necessariò sic affecti febricitent, vt rectè monet Galenus : 14. *methodi medendi, libro de atra bile & libro de tumoribus, sicuti & 2. de arte curat. ad Glaucon.* à phlebotomia, & vsu remediorum refrigerantium & corroborantium à nobis præscriptorum larga manu inchoandum : nec solùm in morbi primordio, sed in augmento, statu & declinatione, ni desint vires, & adsint alui fluor, vel copiosi sudores, sanguis hauriendus. Hæc sententia contrariatur multis, maximè vero Hollerio. Sed nobis clarè suffragatur Galenus, experientia, & ratio. Galen. 9. *metho.* sic loquitur.

Quibus igitur corpus ex succorum a-

bundantia inhabile ad transpirationem iam redditum, tantum caloris iam congeßit, vt inde iam febriat, ÿs tantum sanguinis detrahendum eſt, quantum vires tolerant. Alioqui certè verendum eſt, ne aut ſuffocetur aut corripiatur ſincope. Et paulo poſt. *Optimum itaque eſt in eiuſmodi febribus, ſtatim non numero dierum, ſed vni virium robori attentum eſſe. Quocirca non ſolum ſexto ſeptimoue, ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis mittendus eſt.*

Experiẽtia me certiorẽ adhuc reddit. Inſtar omnium ſit noſter laniator Figeacenſis Coudet, cui quia ſuperuenerat copioſa hęmorrhagia, etſi quatuor anthraces ac bubo vnus quibus moleſtabatur, perfectè fluerent, ſanguis ad libram vnam exhauſtus fuit. Pulſus autem diligenti contrectatione, viribus ipſum præſtaſſe deprehendi. Poſt exhauſtum cacochimum ſanguinem breui conualuit præfatus laniator.

Ratione etiam constat. Nam cum plenitudo sit causa feruoris, eiusque onere aggrauetur natura, necesse est vt sublato ex parte onere, quod tanquam causa omnia aduersa naturæ fouet, diminuatur & effectus qui est febrilis ardor: non secus ac in lignorum strue intensè accensa contingit. Sublatis siquidem ex parte lignis ab igne, ignei caloris actiuitas valdè retunditur. Homo similiter cuius vires ob grande onus eneruãtur, etsi cordialibus vtatur remedijs, alimentisq; vires subitò refocillantibus; constanti nunquam & intrepido cursu incedet, quin prius ponderosi oneris pars aliqua dematur.

Post & ante sanguinis missionem, remedia supradicta, maximè quæ in pauperum gratiam retulimus, sedulò administranda sunt: quoniam optima esse, singulis diebus experientia comprobamus.

Secunda indicatio seu scopus cura-

tiuus desumitur ab vlcere scharotico, cui remedia admouenda sunt, emollientia, suppurantia, & detergentia quæque vim habent leuitèr attrahendi.

Vt hi scopi facilè & securè compleantur, schara radicitùs quamprimum fieri poterit auellenda, quotidiè admouendo ferrũ candens. Cautè tamẽ in applicatione remediorum calidorum scharæ procedendũ; Quoniam violẽta remedia naturam valde irritant & aggrauant; Vt aliás Figeaci priùs expertus sum. Martinus namque quidam dum in medio sterni carbunculum contineret, facta prius leui scarificatione, causticum potentiale admotum diuersis in locis fuit; Sequenti verò die inuenimus totum ferè pectus anthrace extensissimo coopertum; quare non diu vixit æger; eodem enim secũdo die obijt. Solum Ægyptiacum à multis incautè admouetur: ab alijs aqua fortis. Ab alijs

ærugo æris. Alumen vſtum ab alijs: quod minus periculoſum inter dicta eſſe ſcio. Verùm, quia cataplaſmata non ſolum vlcus tegunt, ſed partes inflammatas vlcus ambientes, minima in quantitate Ægyptiacum permiſcendum reliquis, maximè verò ſi anthraces faciem, collum & partes cordi vicinas afficiant: nam tunc ſatiùs eſt nullo vti Ægyptiaco, quam vti; quoniam quò magis carbo inflãmatur à violentis admotis remedijs, cò plus ſerpit & corrodit, ambientiumque partium calor natiuus ſtatim contabeſcit. Nihil dico præter id quod non vna ſed pluribus vicibus à me obſeruatum fuit. Quod teſtari poterit Dominus Pujol Profeſſor Medicus Cadurcenſis, cuius coniux mortua prædicta ſpaſſa eſt incõmoda. Ratio præterea mihi patrocinatur. Quò plus autem æſtus viget, vt in æſtate & autumni initio, corporaque calidiora ſunt, eo frequentius apparẽt

& infestant, ac propagantur carbones. Ergo quò magis carbo inflammabitur & irritabitur, eò plus serpens & rebellis, ac incurabilis euadet. Quarè quæ calorem eius adurentem extingunt vel saltim diminuunt, admouenda. Si ferro fas est vti candido, adurantur tãtum partes mediæ scharæ, ne empyreuma (quod sæpè accidit dum volunt aliqui sanam partẽ ab insana & mortua segregare) in parte sana relinquatur; Et hoc non à tremula & imperita nouitij Chirurguli manu fieri debet (tunc enim satius est omnino sinere) sed ab experto & perito Chirurgo, cuius opera in pestifera praxi sæpè desideratur. Si Ægyptiacum admouendum, parua in quantitate & vrgente necessitate, hyemalique tempore, frigore vigente hoc fiet. Sic.

R. Radicis altheæ & liliorum an. libra. semis. acetosæ & vermicularis ac vmbilici veneris (hæc enim à me

sæpé & fæliciter experta sunt) an. m. j. oxilapati, cauliumve folijs seorsim inuoluantur radices dum coquuntur & herbæ, postea probè contundantur; adde axungiæ porci vnc. ij. vnguenti Ægiptiaci vnc. *j.* misce. Extendatur super solam scharam sufficiens quantitas.

Aliud cataplasma.

R. Basiliconis & vnguenti apostolici an. vnc. iiij Egiptiaci vnc. j. misce. Et extendatur vt dictum est; vel

R. Vnguenti aurei libra semis. vnguenti apostolorum vnc. iij. Ægyptiaci vnc. semis. misce, vt dictum est.

Sequens satis benignum est & fortè linimentum, etiam vt reliqua in cataplasmatis modum formandum.

R. Vnguenti aurei & apostolorum an. libra j. extende vt dictum est: hoc enim in æstate, & in infantulis, tenellisque corporibus satis forte remedium est, licèt æris ærugo & acetũ minori quantitate quàm in ægiptiacã

compoſitionem apoſtolicam ingrediantur. Mel tantum ex ijs quæ ægiptiacum componunt deficit; cuius vicem nonnulla ex quibus apoſtolicum conſtat, facilè complent.

Sequentia optima ſunt quia ſæpiùs vigente æſtu experta. R. vnguenti populeonis, dialtheæ & baſiliconis, an. partes æquales miſce. Extendatur intrepidè, non ſolum ſuper ſcharam: ſed partes ambiētes. Sequens eſt optimū maximéque pauperibus conueniens. R. ſemperuiuæ minoris ſeu vermicularis & acetoſæ ana partes æquales inuoluantur caulium vel oxilapati folio; recondantur ſub cineribus calidis donec ſolitum deponēt colorem: contundantur poſtea, addaturque vnguenti baſiliconis vel axungiæ porci quantum lubet; extendatur debitè vt vltimò dictum eſt. Ex farina etiam, axungia, butiro, & oui vitello familiare parabitur cataplaſma in pauperum gratiam.

Inter emplaſtra diachilon commune optimum eſt: Ob eximias enim eius hac in re dotes, *emplaſtrum cæleſte* à me & meis Chirurgis ſuperiori anno vocatum fuit. Prima enim vice, eius vires in me ipſo approbaui.

Hortor omnes ne miſero Palmarij, & Paræi cataplaſmate vtantur; fuligo ſiquidem quo conſtat exparte, imflãmat, aduritque partes, carbunculumque adauget. Hunc errorem prima vice deprehendi in ancilla cuiuſdam hoſpitis Figeacẽſis, *Ogiè* dicti, cui Chirurgus quidam é longè proſpiciens, vſum prædicti cataplaſmatis præſcripſit. Carbunculus ancillæ iuuenis & ſanguineæ, vigente adhuc æſtu, tã magnum ſuſcepit incrementum vt humerum dextrum integrum nihil præter ſcharam carbũculi eſſe diceres; Accerſitus ego veneni irrepentis impetuoſum decurſum ſedaui, ambientibus partibus admouendo vnguentũ

populeon, & scharæ eiusdem vnguēti populeonis ac basiliconis partes æquales. Quicquid enim dicat Hollerius & alij quibus assentire, donec ab experientia 'victus, non sum veritus, Ceratum Galeni de Arnoglosso non erit inutile: nam quæ humectant & frigefaciunt, cum habeant vim sedandi vniuersi corporis febrilem ardorem, cur non & partis alicuius inflammationem? Ergo his vtendum tanquam optimis & à nobis expertis desensiuis: quæ autem sicca sunt & frigida, vt vnguentum album, vnguentum de bolo non æquè resistunt ardori, nec hunc compescunt, vt humida & frigida quale est populeon; pluma quidem & camphora faciliùs ab igne aduruntur quam vermicularis vel portulaca. Quæ enim sicca sunt cum igne simbolisantur, leuiaque sæpè sunt. Quocirca cāphora in mixtionibus vsus sum: nam non solum refrigerat sed vt vehiculum optimum re-

media transuehit ad cor reliquasque partes.

Sed dicet aliquis pro Paræo,fuliginem superpositam nihil attingere præter scharã.R.hoc falsum esse,quia liquida cataplasmata nunquam immota & fixa adhærent;etsi hoc verum esset adhærere, temporis progressu calor penetraret ad partes scharæ subditas.

Schara mortua tantum scarificanda: nam si profundius quam par sit ad sanguinis effusionem vsque sulcos formare desideras, pars dolore nouo afflicta plus adhuc humoris attrahet, sicque inflammatio partis antea simplex, reduplicabitur: dolor autem & calor copiosissimè attrahũt humores. Vnde vafri spagyrici qualibet essentia calida purgatiua purgant omnes indiscriminatim.

Detergentia, incarnantia, & cicatrisantia,tum in hoc capite,tum præcedenti satis amplè manifestata sunt.

DE MORBILLIS.

Capvt. XV.

Morbilli ſunt exanthemata ad ſuperficiem externarum vel internarum partium erumpentia, ex ſubtiliori fuliginoſiorique materia ortum habentia. Aſſimilantur pulicum morſibus qui rubri cernutur morbilli; qui nigri erumpunt pulicum morſus excedunt, & quia lentibus aſſimilantur, *lenticularis morbus* meritò nominatur ab Hiſpanis Medicis affectus hic. Venenoſi adeo ſunt morbilli nigri, liuidi, & violacei, vt funeſtum exitum, dum adſunt, expectare potius debeamus quã ſalubrem. Nec mirum: nam maſſam ſanguinariam maximo incendio flagrari, perſpicuè denotant ac demonſ-

trant. Fuligines prædictæ cor & pulmones plurimum infeſtant; quarè hæc viſcera morbillis ſæpè teguntur; vt in corporum diſſectione præterita hyeme & ſuperiori anno, perſpicuè annotauimus, clariùſque multo ex ſequenti hiſtoria res eluceſcet.

Proximo antecedente menſe Iunio diſcrimen temporum anni perpendens, & de corporum infectorum maxima diuerſitate; cum alia ſolis vexentur bubonibus, quædam carbunculis; alia, morbillis, nõnulla vtriſque imò omnibus, quamplurima ſine his, cogitans; non alienum fore iudicaui corpus aliquod ſolis morbillis conſpurcatum diſſecare. Vigilia itaque diui Ioannis corpus villicæ cuiuſdam ad pratũ euectæ (vrbs autẽ Toloſa in bono & ſalubri ſtatu iam acquieſcit) proprijs manibus diſſecare ſum auſus. Tota vitalis cauitas peſtifera ſeroſitate flaua, ſemiplena reperta eſt. Cor verò, pulmones quaſi immer-

ſa ſupernatabant. Pulmo dexter morbillis conſpurcatus coſtis omnibus ſuperioribus & veris, vertebris, & diaphragmati, mediantibus corporibus quibuſdam ſpongioſis, ſimilibus texturis à nobis aliâs in alijs corporibus repertis, quæ peſtem toti corpori ſuppeditabant, & ſeroſitatem flauam reddebant, & vi caloris attrahebant, arcto copulabatur vinculo. Pulmo ſiniſter ſeroſitati immerſus, cum diaphragmate tantùm nexum habuit. Vt ſeroſitati ſtatum cordis offuſcanti viã & exitum largirer, iuxta vertebras muſculos execui intercoſtales. Scaturienti ſeroſitati foramen occluſum & obturatum fuit: obici ego obuians extraxi ſubſtantiam quandam compactam & viſcoſam (quæ vera peſtis erat) ſanguiſugæ formam habentem, licèt ſubſtantia hæc longitudine & latitudine; medium digitum adæquauerit. Cordis inuolucro tandem diſſecto, nihil liquoris, prçter naturæ ordi-

nẽ,in eo apparuit; cuius rei rationem inueſtigans, cordis ardorem omnem humiditatem conſumentem, cauſam fuiſſe iudicaui; diſſęcto poſtmodum corde & reliquis partibus nihil præter naturam apparuit. Verùm quia fętidam è naribus excernebat ſubſtã- tiam liquidam, tum quia facies carbunculo moleſtata fuit, minimè dubitaui cerebrum maximè coinquinari. Splen tumuit valdè, quatuor circiter libras ponderabat, vt oculis ipſe perſpexi. Sanguis, vt in reliquis corporibus à nobis diſſectis, grumoſus, etſi adhuc tepidus, apparuit. In extima corporis ſuperficie morbilli quidam nigri ex parte lucidi & ſplendidi, carbonum recentèr extinctorum ritu, cum vno aut altero in ipſo capite carbunculis, vt diximus, clarè præuiſi ſunt.

Ex hac diſſectione corporis aliquã- tulum morbilloſi ſatis conſtat, morbilloſa corpora plus affici & infici quã

reliqua pestis virulentia, contaminata; Et vlteriùs in extremo infici corpora quibus tumores nec maculæ vllæ, sed summo anguntur labore, & languore premuntur ægri, prorsùs elucent. Ob hoc vltimum, plurimùm interest, vt qui pestiferos ægros detegunt & ab alijs morbosis solo visu, vt fieri hic video secernunt, sint probè & exactè tam in pestifera praxi quam theoria versati alitèr enim quamdiu perfecta pestis cognitio expectatur, sermone hoc, *videbimus hoc vespere, videbimus cras, videbimus adhuc quid succedet*, pestiferi ægri insanabiles languescent, per vicinos, vicinaque loca pestis gradatim spatiabitur; sicque, ni oculatus præuideat Magistratus, vniuersa summam & calamitosam patietur Respublica noxam: Nam hac peruersa tempestate multi qui minimè norunt multa magno cum fastu iudicant, vt æstimatione quolibet in cætu docti euadant. Nonnullos enim toto

insæuientis huius pestis curriculo vidimus qui toruis & æmulis oculis nos (dum à Magistratu vel pestiferorum amicis accersiti, accederemus) ægros vel cadauera inuisentes conspexerāt, etsi non solùm à religiosis contubernalibus sed famulis nostris citius & certius quam illis pestis cognitio elucescat. *Hos ô Magistratus malè cultos abige viros*: nam quem eheu, ad risum non concitabit, cæcum oculato lumē & colores ostendere velle? siluestres incolas nautis & Nauarcho hidrographiæ cognitionem? imbellem ac ignauum, comptum tamē & speciosum à venerisque filijs peramatum, strenuo & militanti Duci militares incessus & alacritates? Ac tādem hos, qui infirmioris suæ artis principia nō rectè fortè norunt, & qui blanda verborum serie, licet inertes, in omnibus comitijs (vt docti videantur) nocturna sua studia, seu potius somnifera deliramenta Paracelsistica & Astro-

logica prædicant, practicãtibus actu Medicis, medendi leges præſcribere, naturæque recondita quaſi argutè propalare audere? Eadem eſt morbillorum ac peſtis curatio ſupra ſedulò demonſtrata; ſanguinis miſſio præſentaneum remedium, non ſolum ſemel, ſed iterum; ter, quaterue, ſi res poſtulat celebranda, præhauſto prius aliquo ex ſupradictis remedijs à nobis in bilioſorum, ſanguineorumque febre ardenti moleſtatorum gratiam præſcriptis; quæ liberali porrigenda manu, refrigerante cliſtere non neglecto. Nullum præſtantius, vt autumo, magiſque conueniens remedium ad ignis intenſiſſimum ardorem cohibẽdum, quam titionum partem auferre, interim irrorando ignem aliquo contrario, vt aqua, quæ ſua natura frigida eſt & humida ex *Galen. c.* 8. *libri.*1. *de ſimplic. Medic. facult.* vi quarum qualitatum vis actiua ignis retũditur; nam ſiccitas & caliditas ignis, frigido &

humido vincuntur. Sublata denique ignis parte, eiusdem actiuitas refrangitur; quia virtus vnita, quæ fortis fuit iam dispersa, subiecto bipartito, non eodem pollet vigore. Ergo cum febris pestilens, in qua maximè apparēt morbilli, fit veluti alius ignis, materia succensa massa sanguinaria, sanguinis missione minuēda, frigido & humido irroranda; sicque deuictis putredine & calore, facilè domabitur & venenum ab ipsa natura; non secùs ac homo circumambientibus tribus inimicis agitatus, duobus sublatis, vnius vigori facilè obsistet. Dictam rationē sepè experientia confirmaui. Figeaci honesti cuiusdam ciuis Gaillardi dicti, ancilla morbillosa, nigris exanthematibus, copiosa menstruorum purgatione superueniente perfectè sanitatem nacta, breui conualuit. Cadurci nutrix Domini Pujol Professoris Medici, nigris cooperta morbillis, sanguinis missione curata euasit.

Chirurgos Bruno & Rochault in hoc Xenodochio eadem methodo curaui, ſicuti & indies quamplurimos; Illi nãque ter venam ſcindere iuſſi; qualibet vice libra vna corrupti omnino ſanguinis hauriebatur; huic repetita fuit ſanguinis miſſio; hora ſomni hordeato à me præſcripto fæliciter vſi ſunt. Vterque, extincto feruore, ſimptomatibuſqne ſedatis, appetitu adepto, leui purgatione diminutus fuit. Apparentibus quibuſdam morbillis rubris, & ſignis nigrorum morbillorum, vt maxima inquietudine, febre ardenti, ſiti, vigilijs, cum vaſorum amplitudine, ſæpè etiam multos eadẽ methodo curaui R. P. Philippus ſacri Capucinorum Ordinis ita ſanitatem indeptus, conualuit.

Citiùs adhuc, & crebriùs dictis remedijs curantur qui morbillis teguntur rubris: quoniam hi nõ extremum ſanguinis feruorem, vt illi produnt. Non idcirco horum proroganda cu-

ratio; quoniam cum paulatim ardentis febris æſtu maſſa ſanguinaria veluti torretur, illicò qui (veluti lignũ quod igne aduritur quamdiu humidum radicale floreſcit, ſplendet: exhauſto autem integro humore nigricat) ruborem præſtabant, nigricant; Sicque in maximum vitæ diſcrimen protrahitur æger. A priuatione enim ad habitum nõ datur regreſſus: vnde ſanguis aduſtus, exuccus & ineptus ad nutritionem redditur, non ſecus ac carbones ardentes iam conſumpti ignis ardore, ignem amplius componere nequeunt; quia omni radicali humore orbati; quare ab ignis foco, ne ignis totus extinguatur auellendi. Sic ſimilitèr excedens, intenſus, & præter naturam maſſæ ſanguinariæ feruor, omni induſtriâ, ne maſſa tota aduratur, remittendus.

Sileat retropungentium æmulatorum cætus, nec audeat, in hoc caſu, vllus

vllus ſanguinis miſſionem vetare.

Sed obijcient illi ſanguinis miſſionem non fore celebrandam, quia motus naturę tendit in cutim, ad quã, tanquam ad communem corporis ſentinam tranſmittitur, quod naturæ noxam & damnum infert. Ergo nequaquam hauriendus ſanguis ne perplexè venenum à cute iterum introrſum reuocetur; imò naturæ motus ſudorificis iuuãdus: quo natura enim vergit, eo ducere oportet, inquit Hippocrates.

Reſpondeo. Si natura criticè & ſolemni aliqua euacuatione per vias humorum purgationi deſtinatas ſeſe lautè exonerat, nihil tunc mouendũ, ſed ſinere oportet. At verò ſi ſimptomatica & parca ſit euacuatio, qualis hæc eſt, quæ tantum denotat naturã ab humorum feritate irritatam, multumque moleſtatam, prorſusque impotentem quod moleſtiſſimum eſt & omnino alienum, commodè extrin-

ſecùs protrudere; tunc ſatius erit ſanguinariam maſſam ſanguinis miſſione minuere, & alterantibus remediis, vt calor præter naturam extinguatur vti quam ſudorificis vt communiter fit, quæ maius incendium non ſolum in maſſa ſanguinaria, ſed in vniuerſo corpore concitant.

Quomodò quæſo multum impotens natura in eiuſdem cum morbo conflictu etiam ſudorificis adiuta, ſanguinem toſtum & grumoſum ex reconditis venarum meatibus, diuerſis obſiſtentibus repagulis, ad cutim reijcere valeret? Tranſmittitur autem aliquid tenue, quod vnà cum cute quam afficit. drach. j. raro adæquat vel ponderat.

Cum igitùr non aliter quam ſanguinis miſſione queat euacuari ſanguis ille, nullatenus phlebotomia proroganda. Valentiæ Hiſpaniarum, dum biennio praxim Medicam feciſſem, hac methodo Medicos omnes

iſtius tractus morbum lenticularem fælicitèr profligare ſolitos fuiſſe, obſeruaui. In Caſtella tamen, vt Salamãticæ & Madriti, compluti, alijſque in locis, quibus etiam biennio vel triennio praxim Medicã excercui, ordinario modo cardiacis diaphoreticis, minori cum fructu Medici iſtorum locorum morbi lenticularis curationem aggrediuntur. Verùm, etſi vtrorumque ſententiam ſepènumerò in praxim deduxerim, valentinorum partes tueri non ſum veritus: Et maximè his duobus annis, quibus contra peſtem morborum omnium compendium oppugno:

Extrinſecùs admouenda epithemata. Cucurbitulæ cum ſcarificatione ſpatulis affigendæ, maximè ſi dolor adſit capitis, vt à corde, pulmonibus & cerebro venenum euellatur, eiſque ſolamen & refrigerium liberaliori tranſpiratione & reſpiratione, largiatur. Sed de cucurbitularum ap-

plicatione nullus debet fieri ſermo niſi poſt largam phlebotomiam, præcipuè autem ſi corpus ſit plethoricũ; vt monet Galen. *libello de hirudinibus, cucurbitula, reuulſione, & ſcarificatione.*

DE DOLORE capitis.

CAPVT XVI.

NON rarò vehementia, grauiaque accidentia peſti ſuperuenientia, naturæ maius negotium inducunt, quam ipſa pathognomonica ſuperius relata; quæ quamuis æterna fere ſæuitia miſeros ægros contorqueant, non tamen totius curationis ſcopum tam frequenter ad ſe alliciunt, vt hæc quę immani morbo de nouo adueniunt, quæque

non rarò maximum vitæ diſcrimen portendunt. Quæ ita infeſtant ſimptomata nobis enucleantur, dum animales, vitales, naturaleſque actiones, vel ex his aliquas maximè vitiari cōſpicimus. Quarè quæ calamitoſum minantur exitum, vniuerſarum facultatum vires eneruando, hîc vna cum remedijs quæ omni renixu ipſorum ferocitatem arcere valebunt, enumerare conabor.

Dolor capitis, qui plerumque vexat, vtplurimum per ſimpathiam viſcerum contingit, dum ſurſum mordaces, ſubtiliſſimi, ac fulginoſi eleuantur vapores qui acerrimum & mordaciſſimum inducunt dolorem. Cotinuò ſiquidem perdurante ſanguinis feruore, quod acre & bilioſum ac ſubtile & fulginoſum ſupernatat, ſurſum per venas iugulares internas, perque quatuor ſinus qui in cerebri anteriore parte finiuntur, euehitur, indidem effuſum cerebrum eiuſque

ventriculos, & membranas duas statim irrorat, maximosque tandem dolores ac cruciatus parit. Idem accidit dum tetri, & acres vapores à stomacho ad cerebrũ trãsmittuntur. Vtut sit, semper ferè quod eleuatur biliosum vel sanguineum horumve naturam redolens, est; sæpius tamen biliosum; vt pungens & insignis dolor, tum viscerum ardor, demonstrat. Locus in quo humor subtilis & serosus eleuatus continetur, sunt ventriculi anteriores cerebri (non quod in his dolorem fieri æstimem, cum cerebrum sensu careat) vt vidi, proprijsq; manibus tetigi, dum anatomico ritu caluariam cuiusdam Damisellæ post eius obitum, scindere curaui. Sed dolor tandem in hac Damisella factus fuit Idiopaticus, ob parotidis viciniã, qua ægra vigil decumbens, perpetuò cruciari visa est; tum quia signa idiopatici doloris (quorum præcipuum est doloris assiduitas) aderant.

Præſumptis & præiniectis remedijs huic rei congruis, etiam carbone vel bubone præſente, phlebotomia tamen celebranda poſt partis affectæ perfectam cognitionem; vt vena brachij lateris partem affectam ſiue viſcus, aliamue partem inflammatam continentis proſperè ac tutè reſeranda ſeligatur. Si ſolius ſtomachi vitio accidat dolor, vomitorium benignũ infra præſcribendum potius hauriendum, quam ſcindenda vena. Deinde ſtomachus corroborandus aſtringentibus refrigerantibus, vt cidoniorum ſyrupo, ſyrupo de agreſta, de cichorio & ſimilibus; corallo etiam rubro præparato ad pondus drach. j. cum iuſculo alterato refrigerantibus herbis aſſumpto, ſtomachus corroboratur, vaporumque continuus aſcenſus cohibetur.

Si aperienda ſit vena, cautè cliſter præinijciendus, vt dixi; quoniam ſolius ænematis iniectione dolor capi-

tis ſæpiſſimè ſedatur. Hora ſomnî cli-ſter refrigerans vtilis erit. Aluus libe-ra, arte vel natura, ſeruetur. Tumor præſente dolore capitis citiùs aperiē-dus, ne vniuerſi veneni raptus ſurſum fiat, imò vt eius portio per tumorem exiliat perforatum; altera pars per ſe-ceſſum vi debitæ excrementorum euacuationis. Remedia pauperum, li-quida præſertim optima ſunt hac in re. Hordeatum à nobis præſcriptum excellens remedium eſt. Nam ſom-num qui ſæpè dolorem ſedat conci-liat, viſcera inflāmata refrigerat, hu-morum acrimoniam & mordacitatē mulcet & obtundit, febrim remittit, putredinem arcet, corpuſque nutrit. Si æger ſit macer, bilioſuſque, egeat-que frugaliori victu, hordeato doctiſ-ſimi domini Queirats Regij in facul-tate Medica profeſſoris meritiſſimi, nutriatur. Eximius enim vir ſicuti de febribus peſtilentibus egregiè, licet gallico idiomate in conciuium ſuorū

gratiam, disseruit, ita & hoc victus & remedij vicem gerens hordeatum, cũ iusculo & non cum aqua, vt communiter fit, fieri vtilissimè præcipit. Ego siquidem cordis æstu vel vigilia infestante semper croci momentum hordeatis permisceo, vt sursum hac ala faciliùs capessere valeat.

De vigilijs, & delirio.

Vigiliæ quæ à spirituum animaliũ ardore, vel siccitate procedunt capitis dolorem cõsequuntur vt plurimùm. Delirium similiter superuenit ardore adaucto. Vt hæc accidentia depellantur, sicuti & ipsemet capitis dolor: quæ somnum conciliant præscribenda. Refrigerantes herbæ sepè à nobis cõmemoratæ prosunt, vt reliqua doloris capitis remedia.

Potus somnum concilians.

R. syrupi de papauere vnc. j. aquarum borraginis, acetosę, & endiuiæ an. vn. j. semis. succi limonum momentum, diamargarit. frigidi scrup. j. cum cam-

phoræ gran. ij. miſce : capiat hora ſomni, vel.

Recipe emulſionem drach. j. ſeminis papaueris in aqua acetoſæ extractam ſyrupi de papauere vnci ſemiſ. decocti lactucæ cum momento vini quantum ſufficit, confection. de hyacintho & diamarg. frigidi an. ſcrup. j. miſce, capiat hora ſomni.

Pauperes vtantur decocto lactucę, endiuiæ, portulacæ, acetoſæ, vel omnium penuria decocto vnius, vel ſucco multo fortiori cum vini momento. Nihil enim præſtantius ad conciliandum ſomnum ipſa lactuca intus & extrà debitè adminiſtrata. Potio ſupradicta de tamarindis vtiliſſima eſt, ſicuti & oxicratũ lautè propinatum; cuius ſolo vſu intùs & extra per multi à delirio, vigilijs, & capitis dolore ſanati ſunt. Omnium inſtar ſit piſtor quidam, cui, cum in hoc Xenodochio inſaniret, oxicratum ad ſatietatem cõceſſi; caput ei lotum fuit,

ſuturarum frictionibus præpoſitis. Euomuit bis, nihil loquebatur, ſed durante embrochatione facta ex oxicrato riſu ſatis prolixo concitatus, iocari cæpit; reliquam noctem profundo ſomno conſumens, ſociorum ſuorum conſilio ſequenti manè me inuiſerat, gratias agens pro præteritæ noctis erga ipſum vigilantia; etſi ipſe ſui delirij prorſus immemor eſſet.

Decoctio duarum vel trium ad libitum, drachmarum ſeminis papaueris vel hyoſciami, cum vnc. *j.* corticis eiuſdem, in modum embrocationis cũ guttis aliquot aceti, admota ſomnum perfectè prouocat; Sicuti vnguentum populeon lotum aqua roſarum, in frõtalis modum applicatum; tempora tamen & nares prius hoc induci debent: hoc ſolo cum cliſteris iniectione emollientis, à ſuo delirio liberata fuit filia Alamel ſpagyrici Figeacenſis; dicta tamen remedia à me præſcripta fuere & non à ſpagyrico.

Pro ditioribus.

R.aquæ roſarum vnc.vj.olei roſarum vnc.ij. aceti vnc. ſemiſ. ſucci lactucæ vnc.j.vel decocti eiuſdem vnc.iij.miſce fiat oxirrodinum quo caput circa ſuturas irrorabitur, vnguibus ſempèr ſuturas perfricando.

Pillulæ Nicolai (quas Bauderonus pillulas de Cynogloſſo Domini Meſu vocat) ſcrupuli vnius quantitate deuoratæ ſomnum conſiliant, vt non ſolum in hoc caſu expertus ſum, ſed biẽnio in Xenòdochio Valentino, in quo nullũ aliud vigilia infeſtatis exhibetur remedium ſomniferum: quoniam expertum. Humores autem ſeròſi & tenues prædictos affectus generantes vi pillularum inſpiſſantur, & refrigerãtur, atque ita inepti ad motũ fiunt. Lactuca eoſdem effectus includit. Cucurbitulæ cum ſcarificatione ſpatulis admotæ prædictis affectibus ſæpè medẽtur; præſumatur attamen refrigerans aliquod remedium.

De sincope, lipothimia, & similibus.

Quoniam in his calidis affectibus ſpiritus diſſipantur, humidum radicale facultatum omnium fulcrum firmum exhauritur, calorque natiuus ob alimenti penuriam marceſcit, lipothimiæ, ſincope, tenebricoſæ vertigines, tremor, & conſimilia ſuperueniunt accidentia, quibus non rarò mors nectitur, citiſſimæ actionis remedia ad omnes ſpiritus reſtaurandos & recreandos, dum cordi, naribus, temporibuſque admouentur, vel dum per os aſſumuntur, inuenienda. Præcipuum inter alia eſt vinum fragrans defatigatis corporibus proficuum; quod citiſſimè partibus & ſpiritibus noſtri corporis, ob eius cognatam & ingenitam familiaritatem, tum ob ſubſtantiæ tenuitatem, quam ſubita vtcumque ſequitur tranſmutatio, aſſimiletur. Ita *Gal. 3. de temperamen. Vinum verò inquit omnium minimo, aſsimilari poterit, vbi prius in inſtru-*

mentis coctionis manserit aliquandiu: In quibus antequam demutatum sit, fieri nō potest vt animalis corporis sit nutrimentum. Verùm, quia prædicta simptomata non ob dissipatos tantum spiritus & humores contingunt, sed ob eximium spirituum & partium corporis feruorem, vino permiscebitur liquor aliquis ipsum temperans. vt, cape vini aquæ rosarum, & acetosæ an. partes æquales. Sic enim suauior & securior propinabitur potio. Cochlear vnum sequentis liquoris assumptum proderit: sicuti & admotus liquor regioni cordis, naribus, temporibus & fronti. ℞. Vini fragrantis & aquæ rosarum an. partes æquales. diamargaritonis frigidi drach. j. cinamomi totidem, camphoræ grana. vj. aceti rosacei parum, misce capiat vt dictum est.

Defectu aquæ rosarum poterunt infundi vino rosæ, flos violarum, & & parum santali citrini leuitèr conquassati.

De siti.

Præcedētia simptomata sæpè concomitatur sitis, quæ est appetitus frigidi & humidi in ventriculi orificio excitatus, à siccitate vel ardore dimanans. Sitis extinguetur ablatione causæ, quam lingua ipsa subito assignabit: nam lingua lotium est ex Hippocrate, quoniam interioris status corporis non secùs ac vrina, signum est certissimum: Et meritò, cum eadem tunica qua cum visceribus communicat tegantur os, larinx, æsophagus, ventriculus, & ipsæ adhuc venæ mediātibus quibus viscera contingit. Quarè nō secùs ac vrina colorem mutat ratione humorum prædominantium: nam vapores sursum transmissi facilè in lingua spongiosa consistunt: vnde vapores mediocriter sicci & acres & in parua quantitate eleuati linguæ ariditatem pariunt; si copiosi sint prædicti vapores, valdè sicci & calidi, asperitatem cum nigre-

dine, aliquando inflammationem; Acrimonia & ariditate vrgentibus, fiſſuræ & vlcera gignuntur. Vapores tandem crudi, craſſi & lenti ſurſum immiſſi, lentores circa dentes, linguã & palatum generant. Prædicta accidentia frigefactionem, humectationem & abſterſionem indicant. Qui ſcopi ſequẽti complentur ablutione. R. hordei integri pugil. ij. lactucæ manip. j. decoquantur vt decet: decocto adde parum aceti. Ablue ſæpe os hoc decocto. Epotum etiam maximè cõducit. Si impenſius adhuc humectare deſideras adde ſacchari candi & mucilaginis ſeminis pſillij an. parum. Vel cum lactuca bulliat momentum liquiritiæ. Quæ vltima ſaccharum candum & liquiritia, ſicuti & hordeum multum pulmonibus proderunt; quia ſemper in peſte affectis moleſtantur, eorumque ac cordis ingens feruor ſitim concitat.

De Angina.

Sæpè ſæpiùs, ob ſanguinis & humorum incendium vapores acres & æſtuantes ad fauces vſque eleuantur, qui ibidem inflammationem & excoriationem, vſque ad ſanguinis per os excretionem, inducunt. Hic autem affectus ſæpè breui interuallo ægros perimit; quoniam febris ardens exiſtens, vi reſpirationis magnum exoptat refrigerium; quod tamen ob impeditam reſpirationem minimè compleri perſpicimus. Vniuerſalibus remedijs, vt ſanguinis miſſione & alijs, præpoſitis, ſicuti & cucurbitulis, ſequens decoctio pro gargariſmate proderit: vt teſtari poteſt Helena quædã decani Figeacẽſis ancilla; quæ facilè hui⁹ remedij auxilio ſana euaſit. R. ſanguinariæ & plantaginis an. manip. j. roſarum rubrarum & hordei an. pugil. ij. liquiritiæ momentum. Fiat decoctio, in vſum ægri ſeruanda; gargariſet ſæpè.

De Hemorrhagia.

Hæmorragia (ob impetuosum feruidi & acris humoris occursum, quo in exiles narium venulas ruit) peste corruptis sæpè superuenit. Hæc euacuatio non statim cohibenda, si æger eam tolerare valet; nam perfecta & liberali hæmorragia quāplurimi adiuti, completam sanitatem consequuti sunt. Eam tamen extra modum, & naturæ tolerantiam ac ordinem infestantem cohibere debemus.

Duobus modis cohibetur hæmorrhagia. Primò reuellentibus; vt sanguinis missione facta secundum rectitudinem lateris naris fluentis siue excernentis sanguinem; Sic enim multis repentè cohibetur sanguis optimus fluens, per ablatiuum sanguinem cacochimum venarum brachij. Cucurbitulis etiam ceruici cum scarificatione admotis sistitur non rarò hæmorrhagia.

Secundò cohibetur repellentibus,

vt pannis lineis oxicrato imbutis, deinde collo & fronti admotis & annexis. Oxicrato miſcebitur bolus ad libitum ; vel fiat decoctio ex plantagine, malicorio, roſis, quercus cortice ſanguinaria, & ſimilibus, cui decoctioni parum aceti permiſcebitur. Plantago & reliqua poſt decoctionis ablationem, probè contundantur admoueanturque naribus in modum cataplaſmatis. Potus ſequēs valēs eſt. R. trochiſcorum de ſpodio, coralli rubri præparati & boliarmeni an. ſcrup. j. diamargaritonis frigidi ſcrup. ſemiſ. decocti roſarum, plantaginis & ſanguinariæ vnc. iiij. ſucci ſtercoris aſinini & vini an. vnc. *j.* miſce fiat potus, quem hauriet hora commoda longe à paſtu.

Solo plantaginis, ſanguinariæ & roſarum decocto vtantur pauperes. Verùm ſolius plantaginis decocto ſæpè cohibui innumeras euacuationes magnas : quod non negabit Dyoni-

ſius Vltanus, filius Medici HIBERNI, quem ſemi-mortuũ Valẽtiæ curaui.

Elapſis diebus à vigilatoribus xenodochij, ſecundum conſuetudinem à me præſcriptam, poſt cænam accitus, ad aulam viris peſtiferis deſtinatam acceſſi; gradum directè verſus Ioannem Laporte hæmorragia laborantem feci; quem, ſtatim latronem vocaui, ipſumque furti accuſaui, aſperiſque verbis aſſerere volui ipſum viginti nummos aureos è quodam contubernali ſuo ſurripuiſſe. Ipſe iuramentis facinus negans, timore & verecundia ſtatim commotus, ab hæmorragia liberatus, conualuit. Timor autem & verecundia ſanguinem ad corporis penetralia, atque receſſus confeſtim alliciunt. Huic integrum oxicrati hauſtũ largitus ſum; & quia adoleſcens ſanguineus vigeſimum ſecundum agens annum, venam ipſi cędere præcautionis & curationis ergo, non fui oblitus. Subitæ tamen cu-

rationis causam percontatus ex Chirurgis vnus Augustinus Lalaysse: ipsi rei rationem, vt iam explicui, enucleaui. Quarè ne mirentur stupidi & rudioris, imò ruralis farinæ viri, si ægrum leniter, vel asperè alloquatur Medicus; qui solus naturæ arcana reuelare valet, quique quæ ægro congruunt verbo, vel opera complet. Vnde multa quotidiè, veluti miracula naturæ à Medicis Philosophis enucleantur, quæ à Medicinæ Osoribus, vt Saturninis nequaquam elucescent, quin priùs ipsorum capita quintaessentia mille linguarum phænicum, in vacuo vt spatijs imaginarijs (quod enim vacuo ipsorum capiti congruit alexiterium, vt arctiorem contrahat simpathiam & proprietatem, necessariò in vacuo præparandum) præparata, irrorentur.

DE SOMNO *profundo.*

CAPVT. XVII.

SOMNVS profundus & extra terminum longus, vitiosus est. Somnus enim & vigilia vtraque, si modum excesserint, malum. Ex *Aphoris.* 3. *lib.* 2. Quare quamprimum discutiendus à pestiferis, quibus non leuem noxam sæpenumerò infert, dum diu, noctuque consopiti decumbunt. Insuetus hic sopor originem trahit à crassis frigidisque vaporibus, aliquantulumque viscosis in cerebrum irruentibus, ibidemque intensiori cerebri algore coadunatis & cõpactis. Porrò interceptis spirituum animalium vijs & meatibus, natiuus

eorūdem effluxus & diſſeminatio ad vniuerſas corporis partes, quominus motu & ſenſu fulcitæ agerent, cohibetur. Omnis poſteaquam caloris vis in antroſos viſcerum meatus ſecernitur, ibidemque natiuo & præter naturam caloribus recumbentibus illo paulatim ſuffocato, vniuerſæ vires proſtratæ huius vigore vaneſcunt; ſicque non rarò vſque ad mortem attrociſſimum virus, quòd naturæ impetu nequeat excludi, inſidiosè latitat. Sequentibus igitur, ne mors opprimat ægros, remedijs aliquantulum acribus & reuellentibus prius vtendum, deinde particularibus & topicis.

R. Rutæ, centauri minoris an. manip. j. origani, pulegij, & camomillæ an. manip. ſemiſ. furfuris macri pugil. ij. decoquantur ſufficienter. Decocti cape quantum lubet; diſſolue benedictæ vnc. j. hieræ picræ vnc. ſemiſ. mellis anthoſati & mercurialis an.

vnc. j. ſemiſ. olei rutacei & violacei an. vnc. j. ſacchari rubri totidem, vitellos ouorum num. ij. ſalis parum miſce, fiat cliſter inijciendus hora commodiori.

Cucurbitulæ cum profunda ſcarificatione, etiam iteratæ proderunt. Veſicatoria ceruici & ſpatulis ſine mora applicanda; quæ valentiora reddētur ſi diachilonis cum gummis parum adnectes: nam ſic tenacius veſicatoria hærebunt, nec venas iugulares ſemota è loco (quod ſæpè fit) excoriabunt & accendent. Nicociani vulgò tabac puluis, ſicuti & ellebori, præcipuè albi, naribus inſufflatus, ægros non rarò ſuſcitat. Succus maioranæ & betæ eandem obtinent facultatem; maioranæ eſſentia quia ſubtilior ſucco citiùs ad cerebrū irrepit; Sicuti & acetum cum aqua ardente ſeu vitæ addendo piperis bene triti modicum pauperibus prodeſt; locupletibus etiam auaris, tremulaque

mulaque manu crumenam reſcrantibus. Hi equidem auaritia laqueati & irretiti, fame & remediorum inopia non rarò moriuntur; Malè ergo vulgus iners Medicos culpat.

Quę ab ęgro aſſumũtur tenuia sũto, ſiue potus, ſiue victus, ſiue remedia.

Sanguis, ſi fas eſt, hauriendus; Verùm, rarò ſanguinis miſſioni datur locus; nam ægri veluti immobiles iacent.

De ſurditate & ſuffuſione.

Sæpiſſimè prædictum affectum ſurditas & ſuffuſio conſequuntur: vidi enim quamplurimos cæcos & luſcos huius luis vigore factos. Vidi etiam & mutos. Eandem cum præcedenti affectu curationem requirunt. Collirium hoc oculis ſæpè profuit.

R. Aquarum roſarum, fæniculi & bellidis an. vnc. ij. tuthiæ præparatæ ſcrup. j. ſemiſ. miſce. Lauetur ſæpè oculus, qui tunc recludetur.

Sequens remedium pro ſuffuſione mihi tanquam optimum, & ſingulare communicatum fuit Salamanticæ anno 1622. à quodam Profeſſore Medico; quod & ego expertus ſum.

R. Tuthiæ præparatæ vnc. ij. olei communis, aceti; & aquæ vitæ an. partes æquales; in mortario ad mellis ſpiſſitudinem ſubigantur: cum pluma hoc liquore intincta humectetur oculus. Viſus namque aciem acutiorem reddit.

De Aphonia.

Muti & balbutientes gargariſmo ex calidis plantis parato, poſt prædictorum vniuerſalium remediorum vſum vtatur. Satis fæliciter decocto vtor fæniculi, ſicuti & calaminthæ, quo ſæpè os abluetur. Sublingues venæ aperiendæ.

Maſticatoria.

R. Piperis pyrethri & nicotiani an. drach. j. macis drach. ſemiſ. trita excipiantur maſtiche; formentur orbi-

culi maſticandi, vel ſub lingua longo tempore detinendi, donec maximè putridæ, aliquando viſcoſæ pituitæ partem expuet æger.

DE VOMITV, & alui profluuio.

CAPVT XVIII.

INTER atrociſſima peſtis accidentia vomitus annumeratur; qui mirũ in modum laborioſus vniuersã corporis æconomiã ita ſubuertit, vt vitæ diſcrimen, quam proſperæ incolumitatis tutiſſimum potiùs portẽdat exitum: & hoc, quia orificium ventriculi adeo ſenſibile cenſetur, vt Medicorum torrenti eius affectus cardiaca paſſio ſiue cardialgia

ob ſimilitudinem quam cum cordis obnoxio ſeruat:tũ,quia ipſum cor ob huius affectus conſortium non leuiter labefactari in dies videmus, dicatur. Prouida multum natura neruoſam texturã affabrè concinnatam in ventriculi orificio fabricauit, vt animal, dum fame premitur, hac illac naturæ impetu ruens, pabulum quo ſaginari valeat, acquirere cogatur; quo tandem indepto acquieſcit. Deprauata hac textura aliquo mordaci & maligno humore, aut cum in tota ventriculi conuexitate, aliquis viſcidus, ſalſus, & prauus humor impactus hæret, non ſolum animal appetere ſiſtit: Sed facultatis expultricis inſultantis ſubſidio quod in ventriculi cauitate complectitur, per conuenientia loca delere ſtatim compellitur. Per ſuperna autem ſi humor leuis ſit, vt bilis & pituita; per inferna verò ſi grauis, vt melancholia, ſæpè etiam & prædictimet ipſi humores

leues : Tuncque diarrhæa siue alui fluor succedit; Aliquando lienteria, dum maximè interna tunica ventriculi & intestinorum leuigatur & laxatur.

Si facilè tolerant ægri, non statim nec vomitus, nec alui fluor sistendus; modum tamen excedentes, cohibendi. Si simptomaticus sit vomitus molestans (qui talis est dum à corpore ad stomachũ portio exigua prurientis humoris depellitur, vel quando prostrata natura, quod tunicæ internæ ventriculi impactum infestat, quibusdam conatibus vt expellat, insurgit) auxilium vt impertias naturæ leui vomitorio quod impactum includitur, eradicetur. Vt

R. Aquæ tepidæ salitæ scutellam, cui addes guttulas aliquot olei, hoc epoto supinus ad horæ quadrantem decumbe; Postea digito vel pluma oleo imbuta in gulam immissa prouocetur vomitus.

Rob cydōniorum bis in die ſumptum ſępè alui fluorem & vomitum ſiſtit. Item ſequens.

R. Rob cydoniorum, vel ſyrupi de roſis rubris vnc. ij. coralli rubri præparati drach. *j.* aquæ morſus diaboli & vini auſtęri an. vnc. j. ſemiſ. miſce capiat hora commoda longè à paſtu.

Succus acetoſæ ſumptus cohibet euacuationes maximè acres, & hoc præcipuè quia ſtatim penetrando humoris acrimoniam contundit. Succus lactucæ cum aceti momento eaſdem habet vires. Drachma vna maſtiches cum oui vitello deuorata, mirificè omnem impetum humorum ſedat. Opiata pauperum à nobis præſcripta cum oxicrato ſumpta optimè cohibet fluxus. Vinum abſinthiacum (ni premat febris) optimum eſt remedium.

Emplaſtrum de maſtiche ſequenti modo paratum & ſtomacho ſeu ventriculi orificio admotum, ibique do-

nec ſponte decidet ſiſtens egregiè vomitum cohibet.

R. Maſticis quantum ſufficit, ad maſticis perfectam contritionem adde guttas aquæ in principio, vt faciliùs teratur; pulueri demum inſperge guttas aliquot aquæ vitæ; piſtillo ſubige omnia, & fiat emplaſtrum paruum vel magnum, vt res poſtulabit. Sequens vnguentum ſæpiſſimè à me expertum fuit, dum reliqua dicta deeſſent.

R. Olei cydoniorum, maſtichini & de abſinthio an. vnc. ij. olei roſarum vnc. j. macis, maſtiches, an. drach. ſemiſ. coralli rubri præparati drach. j. roſarum rubrarum drach. ij. ceræ quantum ſufficit, fiat vnguentum quo ſæpè ſtomachus inducetur: vel extendatur liberaliter ſuper pannum lineum qui ventriculo deinceps applicabitur.

De dolore Colico.

Dum ſtercora, vel humores lenti

& viſcidi per inferna eijci nequeunt; tunc lenientibus & purgantibus, deinde carminantibus viciſſim œnematibus vti pro conſuetudine ſolemus. Cliſter autem ex vino tepido gariophyllato iniectus, mirificè prodeſt vt ſępiſſimè in memetipſo & alijs expertus ſum.

De Dyſſenteria.

Vera dyſſenteria, quæ eſt inteſtinorum vlcus ab acribus, & ſalſis aliquando humoribus à toto corpore vel parte fluentibus ad inteſtina ortũ, nõ rarò peſtiferis moleſtiã infert: Humores acres & calidi prius contemperandi & euacuandi ſunt, quam cruentus fluor cohibendus. Sic enim liberaliùs venenum vndequaque excerptum, ad inteſtina, tanquam ad minus periculoſum receptaculũ aduehi queat, vt per podicem excernatur. Fluat ergò per aliquod tempus etiamſi aliquantulum infeſtet dyſſenteria, contemperando tamen humo-

res aſſiduo frigidorũ & humidorum vſu, vt herbis à nobis præſcriptis ſæpè, hordeato, oxicrato & ſimilibus. Inijciendus etiam in dies cliſter detergens vlcus & leniens dolorem, & in minori quantitate quam alij cliſteres, ne aggrauata onere natura ſtatim ad eius expulſionem inſurgat. R. decocti hordei & camomillę quantum ſufficit, vt vnc. x. ſacchari rubri vnc. j. oua integra duo, miſce fiat cliſter inijciendus hora commoda. Vel ſi purgare mauis.

R. Syrupi de cichorio rheo duplicato vnc ij. ſyrupi roſati laxatiui vnc. j. ſemiſ. diacatholiconis vnc. ſemiſ. aquæ acetoſæ & vini quod ſufficit fiat potio purgatiua, ſumenda manè cum regimine; Benigna autem purgatione ſatis proſperè euacuantur humores ad exitum prompti; quales ſunt qui dyſſẽtericis ad inteſtina cõfluunt.

De ſudore.

Sudores aliquando erumpunt fæ-

tidi, qui copioſam humorum prauorum coaceruationem in corpore factam denotant. Quare clyſteribus purgantibus & carminantibus, leuiue purgatione, ſi fas ſit, cauſa morbifica minuenda. Deinde verò ſudores copioſè ciendi, ſi non dum ceſſauerint vi purgationis, aqua ſcabioſæ, vlmariæ, & ſimilibus, cum drach. j. mithridatij

Si ob debilitatem facultatis retentricis (vt ſæpè fit) ſudor cietur, corroborandus æger cardiacis remedijs. Sudor inquietudines compeſcẽs optimus, veluti contrarius è contra. Sudor ob nimium calorem ſuperueniens, vſu frigidorum aſſumptorum & oxicrati, ſiue potius aceti puri interius aſſumpti & exterius admoti ſedandus.

De menſtruis purgationibus retentis.

Si menſtrua deſunt, prouocanda: nam multas vidimus fæminas ſolo

menſtruorum aduentu à peſte liberari. Ciceres igitur rubri (nam vt plurimum ab obſtructione in venis facta menſtruorum defectus oritur) cum iuſculo decoquantur, capiant iuſculum: Cliſteria inijciantur, ex parte hiſterica. Ad menſtrua cienda & ad ſudores prouocandos, valent aqua vlmariæ, ſcabioſæ, ſcordij, cardui benedicti, & artemiſiæ; imò & drach. ſemiſ. vel ſcrupuli duo ſalis artemiſiæ, cum his aquis, vel ex his aliqua citius adhuc prouocat menſtrua & ſudores. Verum, vt diximus, his parcè vtendum quoniã quamvis hoc miraculum miraculorum Saturninorum ſal artemiſiæ (etſi familiaritate totius ſubſtantiæ matrici medeatur affectæ) vim habeat excludendi ſudores, bubones, anthraces, morbillos, & menſtruas purgationes, vt vidi; non propterea æquè benè imò aliquando citius, deſinunt ægri mori, ac ſi nullum ex prædictis ſimptoma-

tibus prorſus ab interno corpore excerneretur. Quarè rariſſimè vtor, niſi fœmineum corpus ſit pingue, laxum & ſine magna febre.

Oenematum rutaceorum vſus optimus erit. Inguinibus, maximè ſi bubones ea poſſident loca cucurbitulæ admouendæ, veſicatoria ſub bubone, ſi adſit, applicanda. Non ſolum menſtrua, ſed hæmorrhoides, & hæmorrhagia ſecundum conſuetudinem prouocentur.

METHODVS DOmos & suppellectilia suffumigandi.

CAPVT XIX.

SI sit vllum remedium: vt pestis extermine-tur idoneum, est debita & exquisita methodus, quâ quod pestis fomiti pertinacitèr adhæret virulentum, omni studio & arte deletur. Quare quæ iugitèr in hoc casu præstantiora fuisse hactenus approbaram, subscribam.

Supponẽdũ priùs omnia medicamẽta pestis sęuitiã sedantia, (in hoc scilicet casu) hanc suam obtinere virtutẽ vi duarum ex quatuor primis qualitatibus; Caloris scilicet, & frigoris: Cũ

autem peſtis immediatus fomes, imò ipſamet, ſit viſcida quædam aura, quæ poroſis, laxis, ſpongioſiſque corporibus impingitur, remedijs oppugnantem vim habentibus delenda. Atqui quæ in calore & frigore exceſſum cōmonſtrant ſunt talia: quoniam frigus excellens calorem putredinoſum veluti enecat, & ſuffocat; Quod etiam calido præpollet temperamēto, quod viſcoſum & putredinoſum adnectitur fomiti non ſuffocat, vt frigus; Sed extenuat conſumit, ac digerit.

Notandum præterea prædicta remedia actu eſſe talia, vel poteſtate. Quæ actu calida vel frigida dicuntur, *ſuffitus naturalis* nomine gaudent. Talia ſunt calor ignis & Solis; algidus rapiduſque aquilonaris ventus, gelu, grando, nix, & ſimilia; quorum adminiculo non ſolum vrbis plateæ ab omni lutoſo, & fimoſo inquinamento exemptę, ædiumque conuexitates facilè ab omni ſpurcitia vindicantur;

ſed ædificiorum concauæ partes, & quæ ædibus includuntur, ſi æquè paterent, ſine arte vlla maiori ab omni peſte naturali, (de peſte,flagello Dei non loquor) maximè contagioſa, purgarentur.

Poteſtate dicitur aliquid tale,quod non eſt adhuc tale quod dicitur; ſed poteſt eſſe: vt arſenicum dicitur calidum potentia; quia quamvis adhuc non calefacit, aſſumptum tamen à noſtro natiuo calore eius ardor ſuſcitatur; tuncque non ſolum calorem inducit mediocrem, ſed vlteriùs adurit.Ex calidis corporibus potentia & actu fiunt ſuffitus; Ex frigidis autem poteſtate rariſſimè.

Mihi magis familiaria, & ad ſuffitus conſtructionem idonea, ſunt ſulphur, auripigmentum & cinnabari; Sulphur tamen vt plurimum præſentaneum fuiſſe comprobauimus experientia, & ratione firmabimus ſequẽti. Peſtilens vapor viſcoſus & veluti

oleaginoſus, parietibus, lignorum rimis & poris, alijſque rebus quæ ædibus infectis includuntur, ſemel impactus, illinc niſi vi alicuius remedij viſcoſam auram ſubtiliantis, incidentis, attrahentis, deſiccantis, conſumẽtis, in profundumque penetrantis, neutiquam eradicari poteſt. Atqui ſolum ſulphur inter omnia præcipuè his encomijs cenſetur dotatum, vili etiam prætio venditur, vbique etiam inuenitur. Ergo ſolum & hoc eſt, quod præcipuè peſtiferam luem ædibus, ſuppellictilibuſque impactam diſſipare, conſumere, & annihilare valet. Conſtruitur ſequenti ordine ſuffumigium.

Omnia quæ in infectis ædibus occluduntur, vulcano ſacrificẽtur. Quæ alicuius ſunt valoris peſtique obnoxia, vt linoſa, lanoſa & quę ſpongioſa ſunt, hiſque conſimilia; ſi fieri poteſt lixiuio facto ex ſarmẽtorum & quercus cinere, addendo parum aluminis,

ſi ſordes pertinaciter adhærent, lauẽtur. Tegumenta tamen, quæque hirſuta ſunt & ſpiſſa feruenti aqua in qua aluminis portio diſſoluetur mundanda. Calcem aliqui aquæ non dedignantur immergere; Verum vi calcis, quæ ſpecioſa ſunt illicò veluti ſemitrita dilaniantur; quia vnico ſolius calcis pertinaci adhæſu quæ linoſa & lanoſa ſunt, non rarò comburuntur. Multitium, vndula, ſcutulatæ veſtes & ſericoſæ, collaria, & alia quæ fibroſa, hirſuta, miniméque tomentoſa ſunt, & in quibus viſcoſum venenum latitare nequit, nullo contaminanda lauacro, ſed furno remiſſe calido purganda; vel igni, vel ſolaribus radijs, vel frigidiſſimo aëri aliquo tempore apponenda. Argentum, aurum, lebes, ſartago, cacabus, metalloſaque omnia, vt charta, etiam quæque denſa, dura & non poroſa ſunt, dummodo lutoſa & immunda non ſint, leui calore vel frigore venenum omne faci-

lè exuunt..

Vt verbo dicam, quæ linoſa ſunt lauentur, reliquaque omnia furno vel igne mundentur, etiam linoſa vt lubet. Granaria niſi aliquis peſte inquinatus attigerit & in ea ingrediatur, ſolo communis ſuffitus ædium adminiculo facilè purgabuntur; etſi lucido aëri poſteaquam temporis tantillo, maximè ſi madida ſint frumenta, obijcienda.

Furno ſupradicta omnia gradatim occludenda: vt prima vice matta, culcitra, puluinus, & reliqua omnia ſpiſſiora; Poſt horæ quadrantem quæ minus ſpiſſa ſunt, vt conopeus, lodix thorax, femoralia pannoſa & lanoſa; & ſic de reliquis agendum. Prædicta omnia in furnum inijcienda, nullatenus fibuloſè duplicanda & liganda; ſed ſparſa & ſciuncta per interualla voluenda, ne intenſo furni calore extima pars rerum incluſarum aduratur & vltra debitum torreffiat, latitante in

penetralibus veneno, cui liber egresſus minimè conceditur.

Interea delatis deferendis ad furnum, domus à vertice vſque ad imam partem diligenter ſcopis mundetur; à tignis, angulis, parietibus, lecto, lectique aſſeribus, ſubſellijs, concameratiſque locis aranearum telæ, aliaq; ædium inquinamenta prædictis pertinaciter annexa, ſicuti & alia omnia fædarum ſordium genera, omni arte & ſtudio præproperè auellenda; demumque ſi combuſtibilia ſint, adurēda; Alioquin ne hæc fæda & virulenta lues cum ſuo genuino fomite diu duret, tandemque reuiuiſcat verendum: nam exiguo atrocis veneni latitante reſiduo; putredinoſus fomes (vapor enim putridus eſt verus immediatus, atque propenſus peſtis fomes) cito & perpetuo fotu, quod venenoſum eſt accurate conſeruat, & veluti abdito confinio ad ſe propemodum allicit. Vnde ob miniſtrorum

ſæpenumerò incuriam ædes ſuffumigatæ, pauxillo reſtitante veneno, incluſum aërem à domeſticis domum poſteaquam redeuntibus neceſſario inſpirandum, coinquinant; tandemque lues conſopita relucet. Suppellectilia improbè ſordibus dirempta eundem procreant effectum.

Mundata diligenter domo, culmacea palea aut iuniperi ramulus, aliudue ſimile facilè combuſtibile perticæ extremo alliganda, ſtatimque accendenda; Poſtmodum diligens miniſter curabit, vt flamma leuiter vniuerſam domus internam ſuperficiem attingat. Sic enim inquinamentum quod à ſcopis antea parietibus adhæſum derelictum fuit prorſus abſumitur, quodque in madidis rimis, angulis, & poris viſcoſum & venenoſum latitarat, foras vt à ſuffumigio abſumatur, ſuſcitatur & attrahitur. Hoc facto tres, quatuor, quinque, ſex, vel ſeptem (doſis enim præſcribenda ad libitum)

fæni libras in medio cubiculi ſubſterne; Si aula ampla ſit, vel domus valde infecta, humidoque in loco ſita, diuerſis in locis fænum collocandum; Poſtea aceto, vino, vel decocto roriſmarini, lauendulæ, menthæ, calaminthæ, thymi, ſaluiæ, ſthæcados, fænicu-li, ſerpilli, mentaſtri, maioranæ, vel ſimilium odoriferarum plantarum ſubſtratum fænum, cui plantas adnecte odoriferas dum poteris, irrigabis; deinde ſulphuris triti vncias ſex, ſeptem, octo, vel libram vnam ſi cubiculum ſit impensè inquinatum ſuperſparge. Poſtea feneſtris omnibus occluſis; omnibus arca, abaco & conſimilibus recluſis; aſſeribus, lignis, & alijs ſimilibus erectis & prope parietem ſeorſim ſiſtentibus, ardenti lampade, à ſublimioribus ædium cubiculis inchoãdo fænum accende, ſtatimque exiens, ianuam cuiuſlibet cubiculi à tergo occlude. Tandem communem domus ianuam ſerabis; nullus domi ma-

nebit, nec ingrediatur vllus donec omnia quæ in furno sunt, sint probè purgata. Purgata asportabit aliquis furni vel lauacri auxilio, vt sequenti capite dicam, expurgatus domum. In sublimioribus & magis aëreis ædium partibus funibus vel perticis suspensa pateant vestimenta omnia, reliquaque linosa, lanosa & spongiosa. Vltimò ab eo qui ingreditur, fiet aliud suffumigium vt primum: scamnorum tabularum & similium communi lixiuio lotio. Quibus omnibus exactè peractis, tota domus, Deo auspice, purgata manebit; lintea tamen, lodices, & similia igni & soli sæpe obijcienda & lauanda vt res postulabit. Sic autem prorsus exterminabitur breui tempore pestis; nec impensi fient sumptus.

Idoneum ad suffumigandum tempus, est calidũ & sudũ; sic enim vi caloris Solis liberior veneno tribuitur exitus. Ad vicinarum ædium vtilitatẽ,

ne ſcilicet vi veneni ſurſum elati noxam vllam ſuſcipiant, noctu fient ſuffumigia. Verum tamen vt fatear, non æquè ſecurus tunc ſuffumigij vſus euadet; quoniam per antiperiſtaſim vi frigoris nocturni factam, venenum interiores ædium partes repetere, ibidēq; egregiè deliteſcere cogitur. Itaque ſi ad amuſſim rem deduci deſideras diurno tempore fient ſuffitus; tūcque vicinæ ædes vndequaque occludendæ, in quibus luculentiſſimi etiã accēdendi ignes, & ſuffitus. Sic enim perpeti conſtantique renixu venenū irruens facilè reſpuent vicina habitacula; Sique aliquid inquinamenti à canibus, catis, gliribus, alijſque animalculis, vel procelloſis impetibus ab inquinatis ædibus tranſlatum fuit, integrè extirpabitur. Quare tempore peſtis humidiores, & latebroſi ædium anguli, ſemper igne vel ſuffitu deſiccandi maximè dum Solares radij eo vſque non pertingunt.

Cum ſupra dixerim tantillum peſtis in putredinoſo fomite relictum, in immenſum creſcere poſſe, atque nobis idcirco nimis obnoxium eſſe; obijciet aliquis verba Galen. 3. de temperamẽtis *centeſsima pars ſcintillæ non nocet*. Ergo cum peſtis non ſit æquè actiua ac ignis, ſi huius tantillum non nocebit; neque peſtis momentum damno erit. Reſpondeò, verum eſſe tantillum peſtis non enecare, ſicuti nec cẽteſſimam ſcintillæ partem. Sed falſum eſt, velle aſſerere tantillum peſtis in putredinoſo fomite complexum, nequaquam agere poſſe ſuſcipiendo pauxillatim incrementum tanquam in propria matrice: non ſecùs ac dum continuo chalybis & ſilicis attritu ſcintillæ quædam generantur, quæ licet non magnam habeant comburendi vim in ſubiecto tamen aptiſſimo & optimè diſpoſito receptæ, ardẽtiſſimorum ignium origo ſunt. At verò ſi veſtimentis alicu-

ius

ius acciderent ſubito refrigerarentur & extinguerentur; veluti momentum peſtis veſtibus cuiuſdam adhęſum calore Solis, vel frigore, vel vẽto euaneſcit & conſumitur, abſque eo quod corpori ſano nocumentum afferat vllum; vel ſi pertinacitèr annexa pe: is non decidit, dum domum quis repetit, vel è foro, vel loco aliquo infecto igni ſtatim approximans eandem facillimè deponit & exuit.

METHODVS EXpurgandi omnes à peſte vindicatos & ſanatos antequam ad tuguria, caſas, aliaue loca quadragenarijs dicata, adeant.

CAPVT XX.

TOTO libelli noſtri progreſſu de idoneis quæ ingeruntur remedijs, deque ijs quæ extrinſecus admouẽtur, egimus præcedentibus capit.

in hoc modum ſupprimendi peſtem oſtendo. Cum igitur ſcopus noſter hactenus fuit cōſeruare ſanos, ægroſque curare, curatos, quominus ſuis noceāt conciuibus ab omni peſtifera lue accuratius adhuc repurgabimus. Omnes itaque priuſquam ad locum quadragenarijs dicatum ſeſe recipiant, veſtimenta, reliquaque omnia quæ ſecum deferunt furno, modo ſuperiori capite à nobis dicto, exactè purgabunt; poſtmodū remiſſo furni calore, nudi ingredientur ſubſtratis priùs ſtragulis, matta, vel ſimili, ne intenſo laterum calore, genua, manus, vel pedes comburantur; Ibidem quadrante horæ, vel circiter, occludentur ſeſe ſemper mundis & linteis pannis abſtergendo, donec ſufficienti ſudore & abſterſione ſtrigmenta, quæque in habitu corporis prauorum ſuccorum ſegmenta deliteſcūt, protinus dirempta decidant. Demum, ne cum vniuerſa ſpiracula

omnino reſerata ſunt frigutiant, ſedem ſub ipſo tecto furnū circumambiente recipiant, ſeſeque mundas inueſtiant induſias; Decumbantque vel ſedeant ad libitum aliquo temporis interuallo, vſque ad omnimodam ſudoris ceſſationem. Poſteaquā ad tuguria aliave loca quadragenarijs deſtinata lento gradu recedant. Sudores ieiuno ſtomacho ciendi non ſunt in hoc caſu, ſed ventriculus propterea non debet eſſe plenus.

Etſi prædicto furni vſu viderim omnes indifferenter probè purgari, libenter exciperem prægnantes, infātulos, & bilioſos; quibus tutiſſimus lauacri vſus congruit. Furfur, ſaluia, mentha, & ſimilia poterunt concoqui in ſufficienti aqua ad tres vel quatuor ebullitiones, poſtea immiſcebitur aliquid vini; fietque congruens balneū, quod ritè cauſabit ſudorem.

Non ſolùm cacochimia in magnis vaſis incluſa, per hiantia vlcera pro-

penſo ſolertis naturæ præſidio ſecernitur; ſed vlteriùs inquinamenta omnia in ipſo corporis habitu recondita, quæque catharcticorum firmiſſima pręſidia ſępenumero longè effugiunt, ad corporis extimam ſuperficiẽ trãſferuntur, cutimque fædis coloribus conſpurcare cernuntur. Quæ ita ad vniuerſalem corporis ſentinam cutim à domante natura circumferuntur, ſecùs quam ſudore euacuari, nullus rationalium Medicorum qui Galeni partes tuetur, vllatenus renuet: Alioquin tetrorum vaporum, prauorumque humorum iterum ad ipſam maſſam ſanguinariã receſſum, vi ferociſſimorum catharcticorum factum, prodeſſe non negabit. Atqui hunc receſſum admittere ab omni ratione eſt prorſus alienum: Quoniam excrementorum cuti ſuccumbentium attractio, à violentis cauſata purgantibus remedijs, (quæ enim à corporis habitu ad inteſtina vſque

alliciuntur, non eò deduci posse nisi violentis catharcticis, res est indubia) viscera, massamque sanguinariam reliquaque corporis penetralia antea vel arte vel natura purificata, reinquinabit: Sicque tandem in curatione irrestaurabilis committetur error.

Prędictum errorem quotidiè committunt satis flagitiosè Spagyrici, qui suo antimonio, mercurio, alijsque violentissimis catharcticis massam sanguinariam, leui antea prauorum succorum inquinamento conspurcatam, omni prauitate confirmatam relinquunt. Procurator quidam præfecturæ Figeacensis hanc nostram aduersus Saturninos confirmabit sententiam; qui cum *orbiculos*, quos *aureos* vafri circulatores vocitabant, sumpsisset; postquam extremè diminutus, quotannis scabioso pruritu, scabieque ipsa, quæ humorum prauitatem & salsedinem sine fraude significant, contaminatus vexatur.

Eodem nefario circumcellionum ritu, clarissimi Domini Laporte Viguerij Figeacensis fratrem dolosus quidam nebulo enecauit; non hunc antimonio commisit errorem, sed ellebori extracto cum sinceri scammonij portione. Quidam etiam Spagyricus Lugduni extractum purgatiuũ cuidam ciui porrexit; ciuis postquam octoginta vicibus aluum exonerare coactus fuit, eodem purgationis die omni radicali humore spoliatus interijt. Iudicis & magistratuum nutu Medicorum examen, visum vtrum methodicè Medicum ageret, Spagyricus subire coactus & interrogatus, cur extremè violentum exhibuerit remedium? Respondit, ne cogerer purgationem iterare vllam: nam si vixisset vir ille, possetque in centum adhuc annos vitam protrahere, nullo indigeret catharctico. Alij etiam permulti, licet methodicè agant, quamdiù habitum corporis alieno colore

præditum offendunt, aſſiduas purgationes exhibere non verentur, dum potiùs conſtipatæ cutis ſpiracula artis auxilio recludere debuiſſent. Nam ſæpenumerò partibus internis benè ſe habentibus, color fædus cutis ob pororum conſtipationem, noxij excrementi ſub ipſa cute latitantis liberum egreſſum prohibentem, dilucidè apparet. Vt ijs qui morbo regio laborant non rarò contingit; maximè ijs qui duro denſoque corporis habitu ſunt præditi, quique ſpontaneos non facilè obeunt ſudores.

Ex dictis infero ſudores omnibus eſſe neceſſarios, purgationes vero ijs tantum qui cacochimia replentur; ſudores autem furni vel hypocauſti, vel balnei vſu tutius prouocabuntur, quam ſudorificis quæ ingeruntur remedijs: Nam ſudorifica remedia liberaliori manu aſſumpta præterquã quod plurimos procreant ſumptus, maſſam ſanguinariam & viſcera in-

tenſo æſtu afficiunt; quibus ita æſtuantibus habitus corporis excrementa introrſum reuocantur, incendioque nouam materiam ſuppeditant: calor autem & dolor attrahunt, & quod peius eſt, quod ſemel attrahitur a calore non aliò protruditur, niſi rariſſimè & quando calori purgatrix facultas abdita & occulta annectitur. Ergò vſus furni, hypocauſti vel balnei tutior erit vſu ſudorificorum remediorum per os aſſumptorum.

Vt cæptum perficiamus laborem, videndum quis debeat eſſe poſt magiſtratum moderator, vt omnia quæ hactenus dicta ſunt, aut quæ dici debent de peſte ritè perficiantur? Nam quidam Chirurgi audent dicere ſibi omnia committi debere, ita vt in dubium ſecundum horum colloquia reuocetur.

Vtrum Medicus ad pestiferos ægros sanandos sit necessarius?

QVi ita loquuntur, furtim ferè & coram illiteratis viris suam sententiam quibusdam persuasionibus confirmare nituntur. Quia enim vident Medicos non nisi rarissimè vitæ periculũ facere, Chirurgos verò semper; Inde fortè colligunt Medicum ad pestiferos curandos non esse necessarium; tum quia in peste apparent bubones & carbunculi, qui Chirurgis prorsus relinquendi. Ob hæc quidam nebulo quamdiu vixit illi amicus medicus asserebat Medicum esse necessarium ad pestis extirpationem; mortuo autem Medico Medicam industriam non requiri affirmabat. Superioribus etiam diebus quidã Chirurgus ausus est dicere, quod si in nostro versaretur consortio se omnia facturum sine nostro consilio & opera. Verùm vt primus inuidia ductus malè digestum deprompsit sermonem; Sic

& hic elata inductus superbia, Medicinam quam a limine non salutarat, se calluisse simulabat; ideoque suo inurbano sermoni debuisset addere. *Si ego ipsi permitterẽ Medici munus gerere.*

Prima ipsorum ratio, nullius rationis est. Dux enim ęquè benè, imò melius halebredam deferret ac simplex miles, si voluisset. Nonne majoris notę viri ęquè benè possent castra petere ac hi qui sunt infimioris notæ?

Secũda ratio nullo fere fulcro fulcitur; sique pressius qui ita loquũtur sese intuerentur, nequaquam auderent proferre pestem, elephantiasim, & luem veneream, quia aliqua exterius quæ ad Chirurgiam attinent efflorescunt, Medici auxilio non indigere: cum sint magni morbi & difficiles curatu. Pestis enim est morbus valde occultus & internus, egensque longa speculatione vt probè cognoscatur, & vt ritè remedia præscribantur. Ergò vt extirpetur necessarius est

Medicus. Tum quia pestis est compendium omnium morborum; ergo cum ad simplicē febrem, prostratum appetitum, dolorem capitis aliosque similes morbos, Medici auxilium requiratur, necessariò requiretur vbi aderunt febris ardens, morbus occultus, capitis dolor, phrenesis, delirium, vigiliæ, melancholia, vertigo, hæmorrhagia, apoplexia, suffusio, surditas, defluxio catharralis, cōuulsio, lethargus, paralysis, sitis, angina, columellæ inflammatio, aphonia, tussis, peripneumonia, astma, empyema, lateralis dolor, sincope, sanguinis sputū, cordis palpitatio, dyssenteria, alui fluor, lienteria, tenesmus, dolor colicus, vomitus, nausea, cholera morbus, ventriculi dolor, læsus appetitus, hepatis inflammatio, hepatis obstructio, ictericia siue morbus regius, hydrops, hæmorrhoides, schirrus lienis, renalis dolor, & inflamatio, stillicidium, diabete, & similes; quos omnes affectus

cateruatim infestare pestiferos non semel, sed quotidiè clarè conspicio. Nonne his affectibus, vt extirpentur remedia magna vt vocat Gal. præscribenda? quia enim maxima præuisione cauendum ne aliquid è corpore dematur quod ipsi familiare sit, vel addatur quod sit alienum (vnde Medecina ab Hippocrate adiectio & detractio dicitur) solus Medicus debitus est moderator præcipiendi purgationem, & sanguinis missionē, remedia medicinæ magna; imo & ipsamet alexiteria; vt patet ex Galeni doctrina superius allata. Tum quia experimentum periculosum, iudicium verò difficile; vt ait Hippocr. 1. *Aphorismor.* Gal. enim in comment. asserit lateres lingna, lapides, corium, terram; quæ aliarum artium sunt subiectum, longe aliter & sine periculo errorem artificis sufferre, quam corpus humanum nobilissimum Medicinæ subiectum. Quarè doctissimi Medici qui

Hippocratis & Galeni doctrinam perfectè callent, in dies consilium ab inuicem petunt, etsi ipsis ægritudo sit satis manifesta, vt tutius, iucũdius, & citius ægrum sanitati restituant. Ergò citò in tam magno casu *pestis* consilium Medici inquirendum. Nullus etiam Medicus nisi claudicans qui debet ignorare Chirurgiã. Quid enim vetat Medicum scire librum Galeni de tumoribus, libros methodi medendi eiusdem; præcipuè autem tertium, quartum, quintum, & sextum in quibus expressè de vlceribus & fracturis alijsque continui solutionibus agit Gal. Hippocrates similiter de vulneribus capitis, alijsque Chirurgiæ partibus doctissimè egit. Nonne Guido doctus Medicus ex his & Auicenna summulas quasdam collegit Chirurgicas? Ergò Medicus est Chirurgus dum vult; & consequenter potest curare bubones & anthraces quando superueniunt, cum ipse sit qui pro tu-

moribus præſcribit remedia. Niſi prolixitatem timerem ob temporis anguſtiam, curationes quaſdam vlcerum cauernoſorum in ipſo thorace à me factas Valentiæ, & Salamanticæ in Hiſpania aſſignarem, imò & Figeaci in Gallia; vt non negabit quidam Figeacenſis Landoigne, cuius pulmonem dextrum, ob magnum & cauernoſum eiuſdem lateris vlcus, manibus ipſe tetigi. Ergò cum non omni tempore, nec omnes etiam peſtiferi afficiantur bubonibus & carbunculis; Tum quia innumera ſimptomata peſtis ad Medicum attinent, præter duo tantum iam dicta quæ ad Chirurgũ, res erit in propatulo Medicum eſſe neceſſarium ad peſtis extirpationem. Imò verò & quæſtio. *Vtrum Medicus ſit neceſſarius ad curandos peſtiferos?* Debet conuerti in quæſtionem.

Vtrum Chirurgus ſit neceſſarius ad peſtiferos curandos?

APPENDIX APOLOGICA PRO Galeniſtis, aduerſus Dominum Fabrum Medicum Spagyricum.

QVAMVIS elatis verbis, ſummo deſpicatu refertis, vt penultima tuæ præfationis ad lectorem produnt verba, Medicorũ cohorti multa exprobres, non ideò in animum duxi te pari verborum ſerie afficere; ſed tui partus Spagyrici contra peſtem, ſummo ni fallor enixu & conatu comparati, nugas quaſdam aduerſus Medicos rationales perpendens, eas veluti futi-

les & exuccas, vtpotè omni doctrinæ fulgore destitutas, excutere decreui; Miratus interea te tantum virum theologum agentem, vsque adeo in Galenistarum methodum insurgere, imò & excandescere, vt hæretici nouatoris in re Medica, quã rerum abditarum indagatoris nomen tibi comparare videaris. Doctrina enim tua de pestis essentia valde trãscendens est & Chimærica.

Primò enim asseris *pestem* esse substantiam spiritualem, cælestem & inuisibilem. Contra quam sententiam sic arguo. Cõtra substantiam spiritualem malignam & venenosam (qualis est pestis ex te) nullum potest reperiri remedium corporale. Atqui ex te omnis pestis est substantia spiritualis. Ergo ex te cõtra pestẽ nullum reperietur remediũ corporeũ in Medicina saltẽ; Atqui hoc dicere in Medicina est erroneum. Ergò & tua sentẽtia in Medicina est hæretica. Mi-

nor est tua doctrina. Maiorem probo. Contra id quod nihil patitur à qualitatibus corporeis nullum datur remedium corporale. Atqui substantia spiritualis est talis; Ergò contra substantiam spiritualem nullum dabitur corporale remedium; & per consequens ex te nullus poterit à peste sanari; quod indies falsissimum esse experientia comprobo. Minor patet: nam nulla datur proportio agendi vel patiendi naturaliter inter substantiam spiritualem & corpoream nisi spiritualis adueniat vt forma; quo modo anima rationalis materiæ secundæ ad vnius compositi complementum annectitur.

Negabis fortè te dixisse pestem esse substantiam spiritualem & diuinam. Sed hoc non negabis, quia asseris pestem saltim à Deo procedentem non solum esse supernaturalem ratione causæ, verumetiã ratione suæ essentiæ; Atqui substantia omni ex

parte adeò ſupernaturalis,alio nequit gaudere nomine quam *ſpiritualis.* Ergò peſtis aliqua erit omnino ſpiritualis,ex tua ſententia. Modū agendi cauſæ primæ Theologis linquo.

Nec poteris etiam negare ſubſtantiam cæleſtem ſeu à cælis dimanantem eſſe veluti ſpiritualem reſpectu terreſtis vel elementaris ; Ideo enim quaſi diuina quædam corpora cælos vocat Philoſophus:quia ſunt reliquis à Deo creatis ſuperiores , Deoque proximi, eiuſq; omnipotentis ſedes, & veluti cauſæ rerum omnium ſublunarium quæ corporea potiuntur ſubſtantia. Ac tandem, vt ab vniuerſo Philoſophorum torrente accepimus , corpora cæleſtia ingenerabilia & incorruptibilia , vtpotè omnis alterationis corrūpentis expertia, ſunt. Proindeque Mathematici iudicant Aſtrologiam , cuius cæli ſubiectum ſunt eſſe nobiliſſimam ſcientiā : nam nobilis dicitur ſcientia , ob ſubie-

cti præſtantiam, & cumulatam ac fæcundam demonſtrationum congeriem. Ex Ariſtotele 1. de anima ſtatim in limine. Ergò perperam dicetur *peſtis* ſubſtantia maligna è cælis ſegregata, ad noſque in noſtri damnum tranſmiſſa: cum ſubſtantia non ſolum cæleſtis quæ incorruptibilis eſt ſed quælibet alia nullum habeat contrarium ex Ariſtotele c. de ſubſtantia. Proindè ſi *peſtis* vt aſſeris eſſet ſubſtantia cæleſtis nullius medicamiminis ſubſidio exterminari poſſet: vel certè cogemur omnes admittere vaſta voracitate ſupremi *ignis* elementi cælos ſaltim proximos ſemper conſumi & corrumpi; quod eſt abſurdiſſimum & inauditum. Ergò peſtis erit qualitas ſublunaris quæ contrarijs domabitur remedijs: peſtis namque eſt morbus: morbus autem qualitas quæ contrarietatis rationem maximè includit. Diſpoſitioni autem naturali quæ eſt *ſanitas*, opponitur diſpo-

ſitio præter naturam quæ eſt *morbus*.

Dices, opinor, ſubſtantiæ tuæ ſpirituali peſtiferæ, opponi ſubſtantiam ſpiritualem quam *mundi animam* & *balſamum vitæ* vocas, rebus omnibus ab generationis earum exordio inditam. Parce Domine, falſum ſupponis: nulla enim cæleſti conſtamus ſubſtantia niſi anima rationali verè ſpirituali; ob quam ad Dei imaginem facti eſſe dicimur. Si creaturæ ſublunares ſubſtantia iſta cæleſti conſtarent haberet in nobis rationem materiæ, vel rationem formæ; ſed horum neutrum dici poteſt. Non primum; quia ex te ſubſtantiæ illæ cæleſtes materialia ſibi formãt corpora. Non etiam ſecundum; nam inde ſequeretur materiam informari duabus formis perfectis ſubſtantialibus: vna materiali quæ producitur è potentia materiæ, (hominem excipe) altera cæleſti & aduentitia. Sicque in peſte à Deo producta peſtis fomites forma

quadam ſpirituali, maligna tamen informarentur; & quod ridiculum eſt, cogeremur dicere ſuffumigia inſeruire vt ab infectis ædibus ſpiritus maligni ſupernaturales eijciantur; quodque magis adhuc ridiculum eſt nullus daretur locus Medico neque Chirurgo, qui tamen poſt Magiſtratum ſunt principes qui contra hanc rabidam luem ſtrenuè pugnant. Hippocrates præterea, primus inter philoſophos qui aſſeruit dari quatuor elementa, & inter Medicos quatuor humores ab inuicem diſtinctos, *libro de natura hominis* clarè probat, naturam rerum omnium mixtarum ex quatuor conflari elementis, dum dicit facta mixti corruptione calidum reduci ad calidum, frigidum ad frigidum, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum; poſteaquam naturam hominis enucleans, ait eſſe quatuor humores, & concludit his verbis. *Ex his conſtat, & hæc ſunt ipſius natura.* Ergò,

cur renouas mixta ijs tribuendo naturam quandam cæleſtem hactenus omnibus philoſophis & Medicis prorſus inauditã? O quam pulchrum eſſet, quę hactenus benè dicta ſunt ritè callere? eaque poſteris clariori ſemper methodo enucleare, & aperire.

Poſtquã omnes adhibuiſti conatus ad perſuadendum peſtis eſſentiam cæleſtem eſſe & ſupernaturalem; dicis præterea te iudicium criticũ cenſorum compeſcere tribuendo peſtis quaſdam veluti morales definitiones. Sed quomodo quæſo inter ſe conſentiunt, tertia definitio in qua aſſeris *peſtem* inficere tantum ſpiritum vitalem, & quinta in qua cum Paracelſo tuo phrenetico affirmas *peſtem* non habere ſuum eſſe, nec in corruptione ſpirituum, nec humorum, nec partium ſolidarum? quibus tamen ſolis conſtamus vt ait Hipocrat. Vbi igitur erit peſtis domicilium? in *corruptione* certè aliqua Platonica; aliter quod

verum eſt, aliquibus ex nominatis, à quibus febrium differentiæ magis propriæ deſumuntur, ex Galen. 1. *de differ. febr. cap.* 1.

In tertia definitione ais *peſtem* tantum contrariari ſpiritui vitali. Verùm bubones retro aures & in inguinibus, quibus in locis cerebri & hepatis emunctoria perſtant, apertè denotant ſpiritus animales & naturales etiam peſtifera labe infici. Veruntamen quia ſpiritus vitales veluti ignei paratiores ſunt, cum vltrò citroque ad corporis partes calore fouendas diffundantur, ſępius quam reliqui ſpiritus infeſtãtur. Spiritus enim animalis etſi dum aura venenoſa per nares attrahitur, inficiatur; quia tamen pauxillus eſt, & ab ipſa ſuæ arcis cerebri frigiditate contemperatur, non tam ſæpè parotides apparent ac reliquorum emunctoriorum bubones niſi æger extraordinario afficiatur æſtu, æſtaſque vigeat; quo modo in

Thaſo accidiſſe ſummus Hippocr. 1. *Epid.* perſpicuè retulit. Tunc enim nimis accenſi labem ſuſcipiunt, & partibus facilè communicant; vnde parotides, phreneſis; aliquando deſipientia, motus & ſenſus priuatio maniféſta; quæ ſæpe peſtiferis accidunt, cerebrique læſi & conſequenter ſpiritus affecti, ſigna ſunt. Vt probè dictat Galen. 3. de placitis Hippocratis & Platonis. Idem proportione dicendum de ſpiritu naturali.

Definitione quarta ais *peſtem* eſſe morbum venenoſum, venenum ad ſex corporis emũctoria proijcientem; quaſi peſtis ſine bubone non eſſet peſtis; quod eſt falſum; nam hæc eſt quę pernicioſa inducit ſimptomata: imò & celeriter mortem, maximè dum nihil in corporis ſuperficie oculis conſpicitur: tunc enim ingenti vigore viſcera confodit *peſtis*.

Tertiò aſſeris *peſtis* cauſam eſſe Deum vel aſtra. Verùm vt Hæraetici

peccant

peccãt asserentes Deum esse causam peccati, sic & hęreticaris in Medecina; nam præterquam quod Deum (quod absit) causam tanti mali constituis, vis nos indicationes curatiuas à causis sumere remotissimis & adhuc externis, quod est in Medicina satis absurdum. Galenus enim 4. *Methodi* ait, nisi ab ijs à quibus immediatè morbus dimanat, neutiquam nos indicationes curatiuas sumere debere. Ergo multò minus à causa prima rerum omnium; nisi impropriè valdè, & quatenus immediatè Deus. concursu ordinario concurrit ad omnes effectus producendos cum causis secundis. Pestis namque quæ a Deo exordium suum sumere creditur, potest absque vlla creatione generari, dummodo Deus abstrahat aliquantulum suum ordinarium concursum & coadiuuamen ab aeris calore, ita vt hunc aërismet humiditas longè superet: Tunc enim eximia inducitur aeris corruptela,

quam ſtatim conſequitur peſtis: non ſecus ferè ac via naturali qua peſtis ab aëre nimium humido & corrupto inducitur. Proindeque Hippocrat. in Epidemijs ſemper affert diuerſas aëris conſtitutiones, tanquam veras epidemicorũ morborũ cauſas, dum loquitur de Thaſo, Cranone, alijſque locis morbis Epidemicis infeſtatis. Idẽ aſſerit Gal. *c 4. & 5.* libri 1. de differẽt. febrium & alibi; noſque etiam annotauimus poſt ſimiles continuas & lentas pluuias anno 1627. ortas primo infeſtari populũ Epidemica quadam cerebrali defluxione. Sequenti autem Autumno peſtis quædam apparuere rudimenta; vt morbilli nigri, lati, & ſplendidi, frequens prægnantiũ abortus & ſæpenumerò exitialis exitus; ac omnium ſignorum certiſſimum ſubita nonnullorum mors.

Saturnus etiam nequit eſſe *peſtis* cauſa; nam inde ſequeretur loca in quibus viget, ſemper infeſtari peſte;

quod eſt falſiſſimum. Etenim quamuis in Hibernia noſtra vigeat, de *peste* Hiberniæ nunquam audiui ſermonem, quamuis nulla ibidem venenoſa exiſtant vel repant animalcula quæ aëris venenum hauriendo (vt aſſeris) poſſent Hibernos à peſtis rabie vindicare. Præterea tribus vel quatuor horis quotidiè regnat Saturnus, & maximo cum faſtu hyeme, Sole procul à nobis recedente; Ergò ſi Saturnus eſſet præcipua peſtis cauſa, à mundi primordio vſque in iudicij diem genus humanum peſte continua inficeretur. Quod eſt falſum. Ergo peſtis tua Saturnina locum habebit vbi nullus datur in ſpatijs imaginarijs extra mundum; quem locum neceſſariò ipſi ſtatues dum aſſeris (quod tamen ridiculum eſt) coniunctionem Saturni & Martis factam ſuperiori menſe Septembri cauſam eſſe peſtis vexantis, cum tamen menſe prædicto ceſſauerit Figeaci, Cadurci, Frãcopoli ſeu

Villefrãcæ, Fons, Cajarc, & ante dictum menſem cæperit per contactum hæc loca inquinare. Miror valdè cur qui ſe Medicum & philoſophum vocat, naturæ ordinem peruetere effectibus poſtponendo cauſas, audeat? Spreto enim à te Hippocrate, ſpernis & philoſophiã. Ariſtoteles in poſtprædicamentis aſſerit quatuor modis rerum fieri oppoſitiones, contrariè, contradictoriè, priuatiuè, & relatiuè. Tu autẽ exiſtimas priuationẽ luminis, & influẽtiarũ Solis ipſiſmet influẽtijs & lumini contrariè opponi, cum tamen priuatiuè opponantur. Proindeque etſi Sol vim habeat producendi in corporibus ſublunaribus multa; non inde ſequitur Saturnum aliaue aſtra poſſe producere peſtem, reliquaque inquimmenta in terris producta; ſed quia indebitè diſpoſitę, vel quia Solis influẽtijs penitùs deſtitutæ imperfectam ſortiuntur res quædam ſublunares generationem, vel paula-

tim corrumpuntur; quia reliqua aſtra nõ tanta pollent generandi vi ac Sol. Ptoptereaque Sol & homo hominem generare dicuntur, licet reliqua aſtra non ſint vlla vi venefica prædita, ſed Sole tantum imbecilliora.

Quartò affirmas infinitas dari peſtis ſpecies; quia infinitæ ſunt actiones, infinitaque ſymptomata ſuperuenientia. Verùm, vt ſuprà dixi, ſemper philoſophiæ immemor naturæ ordinem peruertis. Nefas enim eſt affirmare ex multiplicitate actionum nos poſſe cauſarum numerum multiplicare: alitèr Domine Theologe, cogereris infinitos admittere Deos, quod nullus Chriſtianorũ dicet; Imò temetipſum in plures diuidi ſpecies: nam agis maſticando nutrimenta, attrahendo, conſeruando, cõcoquendo, expellendo, nutriendo, & generando. Ergo diuiſus extabis, ſpecificus & non indiuidualis; quia plures edis actiones; quas tu malè peſtis for-

mam nominas : pestis enim est veluti forma ; quia est morbus , morbus est qualitas, qualitas est forma: ergo pestis est forma,& per consequens cum non datur forma formæ , nec actio actionis,nec etiam dabitur forma pestis,quod est contra te. Miror vlterius quod non aduertis accidentium diuersitatem, cum alia sint pathognomonica, alia superuenientia. Pathognomonica autem signa sunt veluti proprietates quædam diuersas morbi species constituentes ; At verò quæ superuenientia sunt maximè præter solitum morem non faciunt ægritudines à se ipsis distingui V.G. si dysſēteria superueniat pleuritidi , non idcircò pleuritis distinguitur à seipsa etiam quando dyssenteria abest. Sic similiter Petrus V.G. adolescēs,biliosus & macer multúmque sanguinis continens , æstiuo tempore pleuritide, vigilijs, dolore capitis, morbillis infestabitur citiùs quia calidior, quam

qui senex & pituitosus peste molestatur. Ergò tunc morbus mali moris dicetur pestis illa Petri sicuti & pleuritis cui aduenit dyssenteria, nõ autem diuersa morbi species. Aliter superueniente aliquo accidente de nouo, quod sæpissimè fit, cogeremur quamlibet morbi speciem in diuersas secare species, quod in Medicina prorsus erroneum est. Medici namque ægritudinibus omnibus medelam præscripsere hactenus, nulla ferè facta mentione signorum superuenientiũ; quia pro insolitis & insuetis regulæ nullæ constituuntur. Ergò cogeris admittere nobiscum non dari pestis infinitas species, sed tres vulgatas, vel vnam nostratem.

Quintò & vltimò remedia nostra Galenistica reprobas; carpis Pharmacopolas, eosque non solũ assimilas, sed Fabris, Domine Faber, longè postponis. Medicos & Chirurgos exhortaris vt imposterum sacris my-

ſterijs à te prius enucleatis incũbant

Verùm nullus Faber hactenus viſus eſt Pharmacopolarum induſtria præditus. Artificioſa enim methodus præparandi ſyrupos, apoſemata, ſuccos, condita, & ſimilia, Fabris omnibus incognita eſt; formulæ latino idiomate a Medicis præſcriptæ quomodo poſſent à Fabris compleri, qui maiori ex parte adeò ſunt mechanici, vt nequeant legere characteres vllos? Quæſtuſior contra tuum dictum ſpagyrica veſtra eſt quam noſtras Pharmacopæa ars.

Cadrieu locus propè *Caiarc* ſuperiori anno quidam ſatis ignarus quatuor ægris peſtiferis phialas duas aquæ vitæ in qua aliquot dierum numero macerata decubuere zedoria, gariophylli, cinamomum, piper, imperatoria, angelica, gentiana, iuniperi baccæ & geniſtæ folia ac flores præſtitit. Duo qui hunc libauerant liquorem, ſtatim mortui ſunt; alij duo terrore quo-

quodam affecti & liquorem istũ respuentes, nostra methodo sanati sunt. Sed quia spagyricus nebulo suum liquorem nominarat *arcanum*, (verùm ab alio spagyrico huius arcanum mihi reuelatum fuit) *singulare contra pestem* pro nece duorum viginti nummos aureos sibi facilè compilauit; qui autem alios nostra methodo curauit duos quatuor nummi quadrantes sibi tantummodo acquisiuit. Nefas est ergò dicere Pharmacopęam nostram minus esse industriosam, & quæstuosiorem arte vestra spagyrica. Proindeque nec Spagyrica pellacia cum Pharmacopæa nostra Medicorum decretis constructa, vllatenus conferenda.

Dum Medicos exhortaris & Chirurgos vt tuis incumbãt arcanis. Respondeo per *tardè venis Domine*

Salomoni præterea iniuriam facis, cui priùs arcana naturæ quã tibi enucleata sunt; Dumque spernis nostra-

tum remedia, affirmaſque *c.* 10. & *c.* 16. *Salem* eſſe verum antidotum peſtis, quia in ſe animam mundi & ſpiritum vitæ continet, tum quia eſt omnium rerum principium & id in quod omnia reſoluũtur, hallucinaris; quia cum *ſale* tuo materiã primã confundis; quæ eſt ſubiectum primum è quo inſito vnumquodque fit, & in quod ſi quidpiam interit vltimò reſoluitur; quam definitionem ſali tuo tribuis; qui non ſolùm non eſt *peſtis* antidotum vt aſſeris, ſed peſtem prouocat, exacerbatque: quia prorſus naturæ humanæ opponitur tanquã alienum quid humidum radicale conſumens, & natiuum calorem obruens; Quod enim acre eſt, & igneum exceſſum in calore & ſiccitate refert. Quod exceſſum infert longè recedit à noſtra natura. Ergò *ſal* tuus qui cum natura participiat ignea, vt *c.* 10. refers ipſe, dum affirmas vi caloris & ſiccitatis *ſalis* cinerum aërem peſtilentem allici,

iamque allectum forti & violento *salis* calore comburi, & calcinari, (tua verba sunt) nullo modo poterit esse verum pestis antidotum; Vel cogeris admittere salubrius esse antidotum quod plus *salis* includit. Atqui ex te calx plurimum *salis* habet. Ergò ex te sola calx erit antidotum saluberrimum contra pestem; quod tamen absurdum valdè iudicabit quiuis; nam quæ acria sunt corrodunt, adurunt, vniuersamque temperiem nostri corporis plusquam febres quæ eiusdem ferè cum his sunt naturæ, euertunt ac destruunt, carnes colliquant, tandemque totam corporis structuram dissoluunt. Proindéque remedia tua spagyrica aliena prorsus erunt à natura humana: quæque dulcia sunt & temperata corporis humani natiuum calorem fouebunt: à calore enim proprio & simili res quælibet in propria seruatur natura, ab alieno & prorsus dissimili corrumpitur, vt mo-

net Gal. *c.* 13. *lib.* 4. *de simpl. Med. facult.* Ergò quæ igneam naturam successiuis combustionibus & ebullitionibus acquirunt, vt vestri *sales* & *spiritus*, nullo modo proderunt ad pestiferorum vires refocillandas; quia natura infirma (qua pollent pestiferi) validum nec calorem nec motum sustinet, vt docet Galen. *c. citato*: calor autem & violentus motus sunt remediorum spagyricorum inseparabiles effectus, ergò assumpta pestiferos ægros non à morte vindicabunt, sed ad mortem hos potiùs accelerabunt.

Præterea si *sal* tuus tanta polleret vi, qua ipsum super omnia remedia extollis, naturã pestiferorum corroboraret; sed hoc falsum est. Nam non restaurat ægrorum substantiam; quia longè recedit à nostra natura corpus simplex quasi elementare & à mixti natura longè recedens vt sal vester, spiritus, & alia: mixtis enim nutrimur & corroboramur omnes, ideò-

que in vſum humanum elemẽta nobis propinqua aliquo modo mixta facta ſunt, neque natiua elementorum violentia humana diſſoluatur temperies: ſimili namque tuẽtur corpora, diſſimili corruunt. Ergo violenta veſtra remedia quæ valdè a nobis diſſident non reſtaurabunt noſtram ſubſtantiam. Non roborabit etiam alterando *ſal* tuus. Peſtiferum enim feruorem auget potius quam alterãdo diminuit. Multò etiam minus roborabit corpora ægra *ſal* tuus partes laxas vniendo ,humidum radicale, caloremque natiuum cohibendo , & conſeruando, (hoc enim tertio modo dicitur aliquid propriè corroborari in noſtris corporibus):nã omnia quæ ſimilem vim habent in mixtis aſtringentia ſunt & terreſtria: atqui quod terreſtre eſt in mixtis ſeparatur & eijcitur a vobis tamquam fæculentum & inutile; veſtrique *ſales* & *ſpiritus* vim habebunt ſemper diſſoluendi,

destruendique contrariam remedijs roborantibus. Ergò quamdiu in hoc misero versabimur mundo, quia mixti sumus & terrestres mixtis & terrestribus vtpotè similibus roborabimur remedijs; cuilibet enim remedio etiam purgatiuo prouida natura tribuit astrictionem tanquam correctiuum congenitũ facultatis nocentis remedij; vt patet in rhabarbaro cui inest astrictio à terrestreitate eiusdem dimanans, quæ est *correctiuum naturale* facultatis purgatricis eiusdem rhabarbari, nostræ naturæ prorsus oppositæ. Galenistis itaque, qui integra sæpiùs probè parata remedia plenoque vigore referta ægris præcipiũt, ægrorum integra curatio cõmittenda; minimè verò vobis Spagyricis qui nudas facultates è mixtis segregare proponitis; licet pro facultate remedij supersit fumus & empyreuma seu ignea qualitas, humana corpora dũ assumũtur maximo cruciatu dissoluẽtia.

Tuos *cinerem*, *salem*, & *spiritum* Hippocrati & Galeno incognitos fuisse refers; proindeque Hippocrati perfectam Medicinæ cognitionem minimè concedis: affirmasque tibi tuisque Spagyricis perfectum Medicinæ culmen apertum esse, vosque propterea doctiores esse prædicas. Verùm tuus in Hippocratem contẽptus, quia a Diuini senis & medicinæ principijs longè recedit planè spernendus. Si perfectam attigisti Medicinæ metam, cur vir Christiane reliquos Christianos *pestis* reliquorũque morborum cruciatibus affici permittis? Quia certè Spagyricis nihil nisi iactantia & fumus inest. Audias iam Galen. de tuo *cinere*, *sale*, & *spiritu* iudicantem. Capite. 2 libr. 4 *de simpl. med. facult.* sic loquitur. *Sicuti vstorum lignorum omnes cineres, qui ex adustione nõnullas partes igneas conseruant, quas macerati postea solent in aquam deponere. Hanc enim aquam mari-*

næ & muriæ per omnia correspondentem, vulgò lixiuium appellant. Nono etiam simpl. *c. de Conia siue de lixiuio ex cinere. Cineris siquidem, qui acrimoniam igneam habet accerrimam, ipsũ quoque acerrimum est lixiuium eius quod tale nõ est etiam moderatius. quare & putrefacientibus medicamentis miscetur, vtpote causticam facultatem possidẽs: sed propter substantiæ suæ tenuitatem, citra dolorem adurens. Capite etiam de Sale* eodem in libro clare loquitur, sicuti & libro *xı. c. de Sale*, alijsque eiusdem libri capitibus in quibus de rerum adustarum cinere & essentia loquitur. Vt capite de Sale vsto, sic; *sal vstus digerit quidem potentia, quanto scilicet subtilius ipsius corpus accepta ab igne facultate, redditur.* Et paulopost de flore salis. *Liquidum est medicamen, tenuiusque quam sal vstus: præterea qualitatis acris, facultatisque admodum digerentis* Et paulopost de spuma salis. *Spumosa est salis efflorescẽtia multo tenuioris natu-*

ra quã ipſe ſal; quarè & extenuare & digerere quam ille multo plus poteſt. Verum quod ſubſtantiæ eſt reliquum contrahere vt ſal nequit. Capite etiam 18. 4. *ſimpl.* ait acria que tenuis ſunt eſſentiæ, ſu dores atque vrinam promouere; in ſummaque incidendi & digerendi in halitum obtinere facultatem. Hæc & alia clarè commoſtrant prius Galeno cognita fuiſſe *ſalẽ, cinerem*, & eſſentiam quàm tibi; ſed quia violenta ſ[illegible]ũt niſi rarò ea ſpreuit; quod optimi quique Medici Galenum ſequuti hodiè faciunt.

In *ſole*, inquis, *& ſale natura ſunt omnia.* Fateor & hoc ego; omnia enim calido coquuntur & matureſcunt. Calidum autem congenitum, proprium, & internum ſenſim omnem excrementitium domat humorem, datque præterea incrementum cunctis rebus neceſſarium, quodque in vigore conſiſtit conſeruat; quarè *naturæ opifex* dicitur *calor* congenitus

cuiuslibet mixti, qui à Sole præterea fouetur & roboratur. Sicque recte fertur à Philosophis, *in Sole & sale naturæ sunt omnia*, nam igneo calore mixta perficiuntur, sicuti & à Solis influentijs. Hæc doctrina est Galeni: quam amplexari ne te pigeat. Interim VALE.

FINIS.